


NAZIONALE
EMANUELE
6
8 B
32



JOSEPHI JUVENCII

E SOCIETATE JESU.

ORATIONES.

Editio nova emendatior.

TOMUS SECUNDUS.







PARISIIS,
Apud JOANNEM BARBOU, viâ San-Jacobæâ
è regione Collegii Ludovici Magni.

M. DCCXIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.




GALLIAM

NUNQUAM ALIAS MAGIS INVICTAM,

quàm hoc an. M. DC. XC.

NUNQUAM VINCERE DIGNIOREM,

FUISSE.



ORATIO

HABITA PARISIIS VIII. IDUS. DECEMB. ANNO MDC. XCI,



Uod mihi superioribus annis, cùm ex hoc loco verba facerem, addebat animos, & ad dicendum non mediocriter acuebat: hoc idem hodiè me de rebus hoc anno præclare fortiterque gestis dicere incipientem vehementer angit, ac perturbat, ECCLESIÆ PRINCIPES ILLUSTRISSIMI, CETERIQUE AUDITORES ORNATISSIMI. Lætabar antea plurimùm, vos huc frequentes convenire, quæ vestra est humanitas; meumque in dicendo qualecunque studium eruditæ coronæ celebritas ac numerus incita-

bat. Nunc ipsa me terret frequentia, infringit animum experrectus auditor, ille qui extat in vestris omnium oculis ardor alacritasque debilitat. Sentio me neque rerum dignitati respondere posse; atque haud scio an silere satius foret. Imitantur ingentes lætitiæ ingentes curas; ambæ stupent ac silent.

Tum ita se multa objiciunt animo, nullum ut initium orationis exitúmve reperiam. Hinc perterrita fugiensque Germania; inde Batavia opibus, militibus, animis exhausta; Hispania pariter & Flandria, infausto prælio profligatæ; Sabaudia fusis copiis, captis arcibus, claustrisque perfractis patens & aperta; Anglia maris imperio coacta cedere; hostis ubique victus, fugatus, exarmatus, ad internecionem cæsus, castris, navibus, gloriâ, spe, exutus; Gallia, ut hostium, ita sui prope victrix, vixque tantæ fortunæ capiendæ par; LUDOVICUS MAGNUS, hujus autor custosque felicitatis, seipso major in dies. Quis hæc omnia complecti, quis explicare possit, quæ vix credere sibi qui vidit, qui sentit, potest?

Itaque prope est ut querar uni mihi gravem atque onerosam esse publicam felicitatem, meque rerum prospere gestarum numero & magnitudine obrui, quas neque verbis assequi, neque silentio præterire per vos liceat. Sed illud me recreat ac reficit, AUDITORES, quòd cùm mihi dicendi onus

Imponitis, simul intelligatis quid res ipsa, quid imbecillitas mea ferat. Quamobrem rogabo vos & obtestabor, ut si minùs vobis satisfecero, ne id ascribendum mihi potiùs putetis, quàm fortunæ Gallicæ, quæ non minùs oratores omnes, quàm hostes vincit.

Non semper cum Virtute Fortuna consentit, AUDITORES, neque semper ea causa vincit, quæ melior. Quàm multi Duces & Imperatores maximi fortitudini suæ ac industriæ successum non respondere doluerunt? Quàm multi contrà bonitate causæ destituti, iniqua felicitate præter spem meritumque donati sunt? Sæpe victrix Injustitia triumphavit, dum Justitiæ partes infidelis Fortuna proderet. Hic verò nobis annus, raro in paucis antea seculis exemplo, admirabilem Felicitatis cum Virtute concordiam ostendit. Nunquam tanta rerum ubique secundarum seges, nunquam tanta causæ bonitas & justitia belli fuit. Verbo uno complectar: neque Gallia unquam aliàs invicta magis, quàm hoc anno, neque unquam vincere dignior, fuit. Hæc duo dum breviter expono, vos ad audiendum publica res & gloria; certa etiam futuræ felicitatis conjectura spesque, satis, ut opinor, excitabit.

NEQUE nunc primùm dicitur, AUDITORES, invictam esse Galliam: sive id fatum illius quoddam est, æternis consiliis constitutum, sive hoc sua ipsi fortitudo vindicat,

ſive pietas ac religio promeretur. Quod etſi modeſtè, ut in rebus humanis, ac timidè prædicari par eſt, ac tanquàm ſingulare præpotentis Dei beneficium agnoſci; audaciùs tamen hoc anno, quia veriùs, videmur poſſe prædicare. Quid ita porrò? quia nullum unquam ab hoc imperio condito tam grave bellum, tam multiplex, tam periculoſum Galliæ incubuerat; nunquam ullum tantâ fortitudine geſtum, tantâ gloriâ & felicitate patratum fuit.

Ac primò quidem, ut periculi magnitudinem intelligatis, quæ victoriæ decus commendare ſolet; timuimus, AUDITORES, quid enim diffitebor? timuimus. Novum Gallis hoc & inuſitatum, qui timere nihil ſolent, niſi ne quid timere videantur. Verùm id concedamus hoſtibus, quibus tam multa eripuimus: habeant iſtud cladium ſuarum non leve ſolatium, ut nobis metum, LUDOVICO nonnihil ſolicitudinis, injecerint. Et quoniam habet præteriti metûs recordatio ſuavitatem, ſinite me, AUDITORES, hanc vobis voluptatem non invidere. Hoſtis numeroſus, ſociatis armis, fœderibuſque conſpirans; ad rei bellicæ ſcientiam cladibus alienis edoctus & ſuis; invidiâ percitus, & æmulatione; flagrans cupiditate ultionis; erectus gloriæ vel quærendæ, vel reparandæ ſpe; Religionis nomine armatus; copiarum multitudine ferox; odiis dudum conceptis

ac tandem erumpentibus atrox atque terribilis; fanaticorum etiam nescio quibus vaticiniis inflatus; idem partim intestinus & occultus, partim externus & apertus, utrobique perfidus, & sceleris nihil ac fraudis intentatum relinquere inausumque certus. Hispani, Belgæ, Batavi, Hassii, Saxones, Pomerani, Brandeburgenses, Austriaci, Hungari, Dalmatæ, Bavari, Insubres, Allobroges, Gothalani, Angli; ab omni parte simul omnes armis, animis, copiis, equitatu ac peditatu innumerabili exundantes in nos irrumpebant, instar torrentium post hibernos imbres insánis vorticibus præcipitantium in arva florentia; vel fulminum è gravidis nubibus horrifico tumultu ruentium. Tot inter metus, tot inter hostium undique ingruentium fragores ac ferales minas, stabat Gallia suis unius viribus ac fortitudine suorum freta.

Suorum autem? miserum me! cóne recidisse res nostras, ut ab ipsis etiam Gallis fuerit Galliæ metuendum! Quanquam istósne Gallos appellem? hostes Galliæ, hostes Religionis, qui venales animas, arma, & operam, hostibus nostris & suis addixerant, qui voluntario se exilio damnaverant, ut liberiùs impii ac nocentiùs inimici forent: homines perditi ac profligati, quibus cùm neque fortuna vitæ melioris, neque vita mortis honestæ spem ullam relinqueret;

audaciam furor, consilium impietas, animos asportatæ secum opes & speratæ prædæ cupiditas faciebat.

Quid? suppares istis & cognati, propter eandem impiæ sectæ communionem, quàm multi, ut confidebant hostes, in ipso Galliæ sinu ac visceribus nostris relicti, velut in insidiis, erant, nomine Catholici, re professis hæreticis nequiores; cives vultu, hostes animo; avita & patria sacra voce palam, mentitisque signis profitentes; clam, odia conscelerataæ factionis ac inolitum virus, exulceratis mentibus retinentes? Qui, si quis tumultus increpuisset, si quid titubatum uspiam foret, exuerent larvam, & in patriæ periculo baccharentur. Clandestinos hostes quis non censeat apertis esse graviùs metuendos; hostem, si se aperiat, si erumpat, propulsare possis: si lateat, tuearis etiam, atque arma contra te inscius subministres. Ecquod igitur majus Galliæ periculum, quod immanius in eam bellum conflatum audivimus?

Nec terra tantùm in perniciem nostram laborabat; mare cladem nostris oris ac portubus eò præsentiorem minabatur, quò belli maritimi celerior est impetus: formidanda classis, & quam vix mare caperet, instructa: gentes duæ maritimis pugnis & victoriis insignes, partim comportatis ab orbe ultimo, partim de integro ædificatis,

ac junctis in unum ratibus, opibusque, Galliam ab omni parte obsidere atque impugnare meditabantur. Neque hæc omnia raptim in nos ac subitò comparata, sed pluribus abhinc annis collecta, coagmentata & composita: commeatus, arma, pecuniæ per otium quæsitæ, additi ad vim doli, abrupta omnia naturæ, pietatis, affinitatis, Religionis vincula, leges omnes divinæ & humanæ proculcatæ; datum sceleri jus: quâ mercede? istâ, ut nomen Gallicum deleretur.

Quantus fuit Clodovæo Gallisque terror injectus, cùm effusa suis latibulis ac sylvis Alamannorum fœda colluvies nascentem Franciam oppressura videbatur? Quis Saracenorum quadringenta millia, Carolo Martello; quis Teutonum ducenta, Philippo Augusto regnante; quis Anglos sub Carolis VI. & VII. in regni sinu volitantes, ac propè rerum dominos; quis eosdem Anglos, Helvetios, Venetos, Germanos, Hispanos superiori seculo, Franciscum Primum Galliamque perdere conjuratos; quis triplex illud, quod novissimè colligatum erat, fœdus: sine aliquo timore recordatur? Hæc illa sunt Galliæ difficillima tempora, hæc illa pericula, quibus dum se perfunctam feliciter meminit, invictam se esse, nec frustra, confidit, sibique perennitatem quandam & immortalitatem

pollicetur. Quæ tamen si cum hujus anni bello periculoque conferamus, nonne levia videbuntur? In illis divisi sæpe hostes; in hoc conjuncti: in illis aliquando barbari, exteri, ignoti, rei bellicæ rudes; in hoc vicini, domestici, exercitatissimi, experientissimi. Ibi consilio, re, ceterisque præsidiis ut plurimùm destituti; hîc rebus omnibus instructissimi. Tunc non iisdem omnes odiorum, irarum, livoris, Religionis, & gloriæ, stimulis incitati, non eodem omnes tempore, neque ex universis partibus & locis ingruentes: nunc Europæ totius, penè dicam orbis universi opes, tela, vota, spes, odia in nos intenta videbamus; nunc omnibus in locis, terrâ, mari, domi, foris, excubandum standum in armis & pugnandum fuit. Quis nostrûm non videre visus est monstrum quoddam centiceps, quod Galliam, quanta est, magnitudine sua circumveniret, obrueret mole, afflatu propemodum ipso & halitu enecaret? Jam urbes scribebantur ad prædam, ad cædem, ad vastitatem, ad incendia; jam provinciæ dividebantur, jam templorum spolia numerabantur, jam asportabantur divitum gazæ, cæsorum exuviæ, bona expulsorum; jam hæc demum arx imperii nobilissimi caputque Lutetia tenebatur. Respirate, AUDITORES: apparatus tanti, coïtiones, fœdera, fraudes, arma, molimina, odia,

vaticinia, id unum efficient, ut quàm invicta sit Gallia, orbis universus intelligat.

Cujus animi primùm & fortitudinis hoc fuit, tanta periculi mole non perturbari, non avertere procellam impendentem, legationibus mittendis, proponendis conditionibus, nectendis ambagibus, largitionibus spargendis, serendis etiam suspicionibus inter fœderatos ac dissidiorum seminibus? Non pretio pacem precariam emere, non victoriarum partem aliquam, ut reliquæ retinerentur, dimittere? Non cunctando, paciscendo, fugitando deprecari cladem & quoquomodo depellere? sed expectare hostem, expectare dico? sed lacessere ac provocare; provocare autem? imò in ejus provincias effundere maximos exercitus; ad pecunias contribuendas ferro & face adigere, urbes vi expugnare, delere agmina, regionem latè populari: hoc utrùm inclinatæ, laborantis, trepidantis Galliæ, an securæ, an victricis, an invictæ potiùs est? Sic illi parabat hostem fortuna dignumquem vinceret; sic messem ingentium victoriarum longè pulcherrimam & amplissimam offerebat. Anglicana freta, Fleurusiani campi, Sabaudiæ arces, vos mihi luculenti testes estis? Relegamus hæc animis breviter & cogitatione loca trophæis nostris ad invictæ fortitudinis & gloriæ memoriam sempiternam recèns consecrata,

Atque ut à pelago ducam initium, unde spes hostibus major affulgebat; in suis littoribus, in suo quasi mari & regno pugnabant illi; quò se reciperent, unde annonam peterent, habeant, vento etiam ferente ac secundo utebantur: nobis adversa hæc omnia: vincendum aut pereundum fuit. Offertur hosti nihilominus pugna, conseritur: quo eventu? audivit orbis, & stupuit. Impetus in Hollandos primùm factus, illos, si Superis placet, pelagi arbitros, illos utriusque oceani moderatores hactenus & dominos: tormentorum vi, missilibus ignibus, arte incredibili atque audacia, classis illorum maxima & ornatissima vexatur, incenditur, malis & armamentis nudatur, capitur, deprimitur. Quò vos autem, Angli, quò turpis abripit fuga? Hæccine jurata sociis fides? Ideone convenistis, ut alienæ cladis otiosi spectatores essetis? Ideo nempe convenerunt potentissimi duo populi, qui jamdiu inter se de maris imperio certaverant, ut illud conjuncti pariterque victi Gallis victoribus omnino deberi faterentur. Quid Anglos tamen adeo turpiter in fugam impulit, AUDITORES? Ignavia? nefas id in gente acri & bellicosa suspicari. An instantis Galli metus? quem si non frangere ac repellere, sistere tamen paulisper & retardare poterant. Sic est: neque ipsi non assentientur, si verum fateri

volent: illos haud dudiè imago suæ perculit perduellionis tetra atque horribilis perculit: ultrices scelerum diras imminentesque sustinere nequierunt: proditus ab ipsis Rex suus, vendita patria, repressit inauspicatos conatus, conturbavit impias mentes, ferrum ab ipsis propè manibus excussit. Instantibus à fronte suis criminibus, hostibus à tergò prementibus, consistere non potuerunt, in fugam se velut lymphati dementesque conjecerunt. Quid si etiam fugientibus incubuit Fama, recentis in Belgio victoriæ ad Fleurusium reportatæ nuncia?

Qua de pugna si consulantur hostes, si rumores ab illis dissipati audiantur, nihil minùs quàm victi fuerunt. Sed si campos, in quibus certatum est, contemplemur, adhuc eorum cadaveribus constratos; si numerum captivorum, in iisque tot centuriones, tot tribunos; si vexillorum copiam, quibus contecti templorum nostrorum tholi ac fornices visuntur; si machinas bellicas & tormenta iisdem erepta; si denique spectemus eorum solicitudinem postea consecutam, metum, cessationem, perturbationem, fugam: omnino constabit victoriam hanc unam præ cæteris esse insignem, & numeris omnibus absolutam.

Non satis autem fusum est terrâ marique sanguinis? nondum gemina clades ardorem hostium & odia restinxit? nondum

Video instructas sub Alpibus recentes turmas, cerno exultantem militari gloria Principem. Hispanorum ac Cæsarianorum promissis inflatum, qui commendationem primam armorum suorum ab nobili adversario, & audaci facinore ducendam; atque in eorum periculo quibus adjungere se, quos tueri, vel certè domesticis exemplis eruditus, non contemnere debuisset, ponenda belli rudimenta judicavit. State Galli, abstinete, quæso, & principi quem laudanda gloriæ cupiditas paulò abduxit Longiùs, Principi suâ privatim causâ minimè nobis inimico, per alienum scelus in fraudem inducto, cujus etiam salus & gloria vobis esse percara debet, propter illam quâ vos attingit, Regii sanguinis cognationem, parcite: tuque potiùs, tu parce, tu projice manu tela, Dux Serenissime, noli tuis illis montibus, & Alpium vallo fidere, quas olim Victoria Gallica non semel transvolavit. Non sustinebunt fortunatos Gallorum impetus tuæ illæ arces præruptis licèt scopulis impositæ; non tuum illud Segusium: quæ cæteris sunt angustæ fauces & inviæ, illis, ut venerint, ut viderint, latæ ac patentes erunt. Frustra sum, non audior, dimicari jubet; dimicabitur: dimicatum est, victus est. Neque hic vincendi, nisi prohibeat, finis erit.

Mihi verò quis dicendi modus erit, AUDITORES, si obire omnia singillatim

loca velim, quæ nostris hoc anno victoriis fuerunt nobilitata? Quantum operæpretium est factum, in iis ipsis: ubi non tam fortasse splendidus ac velox impetus Gallici Martis videtur fuisse? In Hibernia quid ingenio, sagacitate, vigilantia promovisti, dux factionis inimicæ? Illam invaseras ingenti cinctus exercitu; atque instar incendii recentis & ardore novo prævalidi ruens, correpturus illico totam & absumpturus videbaris. Hæsisti menses multos iners, & penè ignotus delituisti. Vidisti mactatum ante oculos illum, quo veluti parente fata, quo tanquam animâ spirare, tanquam capite moveri nefaria conjuratio videbatur: ita parum feliciter usus fuisti rebus aliquot secundis ac velitationibus, ita perdiu nihil egisti, ut ubi gentium esses, an omnino esses, in ipsa fuerit Anglia dubitatum; ac tum denique intellectum sit te vivere, cùm re infecta, debilitato exercitu, multis tuorum desideratis, amissa magna tormentorum & impedimentorum parte, extremum soluta obsidione Lymerici, revertentem te Anglia & quasi redivivum aspexit.

At enim aliquis hîc me tacitus fortasse reprehendit, quòd de Germania tamdiu nihil dicam, & à me vel omittendam penitus tanquam triumphorum hoc anno minùs feracem, vel delibandam leviter suspicatur. Ego verò hanc in postremum ideo

conjeci locum, ut in ipsa paulò diutiùs immorarer. In ea quippe tametsi minus fusum est sanguinis, plus tamen actum est, plus gloriæ collectum, Belli gravissimi pondus, ac rerum molem, SERENISSIME DELPHINE, sustinuisti, non solùm prohibendis hostibus, ne pedem in Gallia ponerent, ne suam crudelitatem cruore nostro, ingluviem opibus, impietatem eversione sacrorum explerent: verùm illos atterendo morâ, die ipsa comminuendo; morbis, egestati, inediæ permittendo; confessionem imbecillitatis extorquendo; ipsis demum pugnæ, licèt adversæ, gloriam & solatium adimendo. Quantò illis gloriosius fuisset pugnare tecum & vinci, quam sic detritos, egentes, inglorios que secedere? Satis intelligimus quàm hoc arduum tibi ac difficile fuerit, PRINCEPS SERENISSIME: non potuit istud gloriæ genus tibi non constare magno. Habet acies quippe, fumus, clamor & tumultus dimicationis ac prœlii, nescioquid ad vulgi opinionem & famam splendidius, quod juvenis herois oculos summa cum voluptate perstringat. Quoties illum Gallica Nobilitas, cùm ardore dimicandi fremeret, circumstetit, signum expectans, & irruere parata, si annueret? Quoties ut in Bavarum liceret erumpere, genibus etiam advoluta, flagitavit? Quin vincere nos, te duce, vel te spectante mori,

jubes? cur Germanus morâ nostrâ tamdiû & patientiâ fruitur? Concede aliquid fortunæ tuæ, da LUDOVICO, da tibi: an hostem, an te, an nos ignoras? Quàm percitum ac stimulatum istis suavissimis objurgationibus fuisse arbitramini Principem, armatum, æstuantem gloriæ cupiditate, suæ virtutis ac virium suarum probè conscium? Quoties ipse victoriam videre visus est obviam, invitantem, & paratas lauros monstrantem, si pergere ulteriùs vellet, hostemque persequi? Quoties illi collectam ad Philippoburgum famam, spem Galliæ, conjectos in eum Europæ totius oculos, æmulum ætate florentem & robore, vicinum, & congredi non nolentem, ostendit? Quoties etiam recentes aliorum exercituum terrâ marique palmas, quorum laureatis litteris feliciqùe fama castra ipsius quotidie circumsonabant, objecit? Stetit tamen sui potens, & gloriæ victor: plus apud eum parentis nutus, leges belli, prudentiæ, quæ in eo matura & senilis est, placita valuerunt, quàm ætas, æmulus, socii, spes vincendi certa. Præclara laus, PRINCEPS SERENISSIME, quòd salutem regni gloriâ tuâ potiorem duxeris. Quid aliud majus aut illustrius præstare dimicando potuisses? Hostem armis expulisses & manu; eundem nominis tui terrore, ac famâ repulisti; ejus copias concidisses magno labore,

etsi glorioso; easdem majore gloria, minori discrimine, dimidio plus minuisti: pars cladis aliqua & damni fuisset tua; nunc tua est omnis sine detrimento gloria: unum egisses de illius acie triumphum, nunc quàm multiplicem reportasti! Triumphus tuus est hostium fuga: Nobilitatis Gallicæ incolumitas, triumphus tuus est: tua prudentia in tam lubrico loco & gradu, triumphus tuus est. Quot in uno facto triumphi! neque illi redempti multo sanguine, non fœdati luctu, non lacrymis inquinati, sed hostium silentio, receptu, & pudore nobiles. Tales profectò triumphi non possunt LUDOVICO non placere, qui sævire in hostes, nisi coactus, non amat, quique illis, etiam bello superior, pacem ultrò donet. Mirati pridem eramus tuam erga ipsum observantiam; hujus tamen documentum nunquam illustrius ac specimen edidisti: omnem belli aleam tuo arbitrio, tuis consiliis permiserat ille quidem; sed cui rem tantam crederet non ignorabat. Dignus est qui orbi aliquando imperet, qui parêre sic didicit. Satis norant Germani quid certando posses: vel ipsa tua castra Bavarus ex edito monte contemplatus, cohorruisse fertur, & multùm de illo quem initio præ se ferebat ardore pugnandi remisisse. Verùm non ita norant Galli quid posses non certando: in te Gallia nunc demum, ut olim in

Marcello

Marcello Roma, ensem & clipeum habere se gratulatur, seque invictam semper fore intelligit, quæ auspice LUDOVICO, te imperatore, cæteris ducibus nostris exempla tua & vestigia persequentibus, tam insigniter hoc anno invicta fuerit: hoc à me demonstratum satis hactenus est: jam, cur nunquam vincere dignior fuerit, restat breviter exponendum.

MAGNUM est, invictam fuisse hoc anno Galliam, AUDITORES; majus, eandem, ut foret invicta, meruisse. Ut enim præclarè afirmabat Romanus Consul, idemque orator clarissimus, hic demum felix putandus est, qui sua dignus felicitate videatur. Sed paucorum est ea gloria. Quàm multis enim pro ipsa virtute ac bonis artibus, fortuna inanis & felicitas est? Eam verò Gallis hodie laudem contendo esse tribuendam. Non casu, non fortunæ temeritate, sed certa & vera virtute, ut essent victores & invicti, meruerunt.

Ac ne istas quidem virtutes prædicabo, quæ magnarum rerum & victoriarum effectrices esse solent: prudentiam in deliberando, in consiliis hostium explorandis, in tegendis suis, in ducibus deligendis ac sapientibus operum administris, in militiæ nervis & subsidiis colligendis; in componendis domi rebus, providendóque ne quis oriatur tumultus inter cives, antequam

bellum hostibus inferatur : celeritatem in exequendo, in apparatu belli ardornando, in scribendo milite, in deportando, in collocando : vim, robur, & audaciam in hoste vexando frangendóque, in perferendis laboribus, in adeundis periculis, in conferenda, cùm res postulat, manu. Sunt hæc, fateor, momenti ad victoriam permagni, eáque tanta in Gallis fuerunt hoc anno, vix ut fidem apud posteros habitura sint. Altiùs tamen, altiùs est origo nostræ felicitatis & gloriæ repetenda. Tu DEUS OPTIME MAXIME, tu istius belli Dux, tu auctor triumphorum extitisti: hoc prædicamus, hoc ultrò gloriamur. Neque verò aliud nobis de tesperare fas fuit: justæ Gallis cur iis faveres, cur eos vincere juberes, causæ, & graves fuerunt. Quænam, AUDITORES ? illæ ipsæ ob quas bellum à LUDOVICO MAGNO susceptum & administratum est : asserenda majestas Regum, vindicanda Religio. Hæc illi suscipiendi belli causa duplex, hæc vincendi fuit.

Ea est non modò gentium omnium ac Legislatorum edictis, verùm ipsius propè naturæ voce lata lex, & in hominum animis insculpta, ut Regum sacra majestas habeatur. Reges cùm dicimus, parentes populorum appellamus, terrarum sidera, spirantes & expressas imagines Numinis,

vel Deos potiùs quosdam aspectabiles, quos summus ille rerum arbiter, in societatem potestatis & gloriæ videtur adsciscere, & suos quasi legatos orbi terrarum gubernando præficere. Hinc adeo summa illa veneratio, illa dignitas Regum, in qua tuenda & asserenda populi omnes, fortunarum suarum, libertatis & capitis jacturam bene collocatam esse putaverunt. Hinc illud quod sentimus ingeneratum nobis atque insitum penitus odium in perduelles ac læsæ majestatis reos, quorum ad ipsum nomen mentionemque cohorrescimus. Nec immeritò: debitam enim majestati reverentiam & pietatem tolle; sanctitatem legum, auctoritatem magistratuum, scelerum animadversionem, concordiam è familiis, pacem è regnis sustulisti. Vita imperii & caput, rerum summa petitur, cùm Regis majestas petitur. Ea quàm atroci ante biennium & inaudito scelere violata fuerit, refugit etiamnum oratio meminisse. Hanc injuriam, hoc tetrum atque immane facinus vindicari oportuit; ultionem reposcebat Europa mœrens, orbis attonitus expectabat, Nepos, gener, filia, subditi, amici, aulici, ac domestici, sacrilegam nefandæ conjurationis societatem coïerant, in avunculum, in socerum, in patrem, in Regem ac dominum, cui unum id fraudi fuit, quòd Princeps veritatis, fidei, æquitatis servantissimus ceteros è suis

moribus æstimaret. Rex fortis ac pius, paulò antè victor etiam & felix, à suis ejectus, exceptus ab exteris; exul à suo regno, hospes in alieno, proditam & spoliatam majestatem, ad commiserationem tristissimæ calamitatis, ad opprobrium & invidiam inimicorum, circumferebat. Bellum inexpiabile Regibus omnibus in uno Rege inferebat Princeps ambitione cæca, impotenti cupiditate, ut levissimè dicam, efferatus. Audite hoc, Principes, quicunque pestiferæ conjurationis patrocinium suscepistis: an non intelligitis, si compos ille voti fiat, exemplum immane vestrum in caput statui, ac teterrimis parricidis in vos à vobis arma suppeditari? Sævietis in rebelles videlicet rebellionis defensores ac patroni? Factum bene quòd invitos etiam & immerentes vindicet LUDOVICUS! Apud indignos licet, ac fortè ingratos beneficium hoc ponat, laudabit illum certè grata posteritas unumque ex omnibus regio fastigio dignissimum judicabit, per quem vestra & Regum omnium dignitas fuerit tam splendidè propugnata. Sic est, LUDOVICE MAGNE, regnorum pacem, concordiam populorum, salutem Principum omnium, jura, gloriam, fortunas, vitamque defendisti. Reges servare & facere, quàm vincere pulcrius judicasti. Quin hostibus etiam ipsis faves, dum illi dignitatem tuam infrin-

gere ac labefactare moliuntur : id præstas, ne quis eos adoriri parricida ausit, ac simul eosdem doces quæ sint ipsorum partes, quod proprium decus, dùm Principis calamitosi causam esse ducis tuam. Constet jam Regibus dignitas sua vel afflictis & miseris, sancta sit eorum ubique persona, quocunque loco illorum fortuna sit : timeant perduelles, & in Reges peccari non impunè, sciant.

Nec minùs inultum sibi fore sperent, si quid in sacrorum majestatem audeant hostes Religionis, quam sibi æquè tutandam LUDOVICUS esse duxit, ac Regum majestatem vindicandam. Recordamini, AUDITORES, quo res in Galliis Catholica loco foret. Illa tot Regum, tot annorum labor, tot fœcunda bellorum ac discordiarum seges, Hæresis, uno demum, quo vivebat, & penè adhuc regnabat, edicto abrogato, videbatur extincta penitus & sepulta. Secesserant qui Regis post hominum memoriam maximi & religiosissimi beneficio salvi nobiscum esse recusaverant, ac regnum ingenti labe simul & formidine solverant. Jam reddita sibi majorumque sacris universa Gallia, jam intestinorum quibus consumpta propemodum fuerat, malorum oblita suavissimè respirabat, aliis in Ecclesiæ parentis optimæ gremium postliminio receptis, aliis restitutos sibi, quos exitialis error ab-



ſtraxerat, parentes & propinquos gaudentibus. Concordiam, ſecuritatem, pacem, communio ſacrorum eorumdem & pietas alebat. Supererant pauci adhuc in ſententia malè pertinaces, quos ipſa dies, quos Principis cura, quos bonorum conſuetudo paulatim emendaret. Felicem te, Gallia, quantò liberata demum es periculo ac metu! Non cives tuos poſthac inter ſe crudeliſſimè divulſos aſpicies, non errantium media in morte flendam ſecuritatem lugebis, non converſa in te tuorum odia liberorum ac tela infelix mater extimeſces.

Sed ô ſpes inanes, ô lætitiam fallacem & minimè diuturnam, ſi hoſtium votis Fortuna Marſque reſpondeat, ſi Gallia metu fracta, periculi magnitudine victa cedat, ſi Ludovicus majorem regni & commodi ſui, quàm Religionis & divini cultûs rationem ducat. Age, fingamus, Auditores, nos accepta clade pulſos, victorem hoſtem & impii voti reum eſſe: quid vultu expalluiſtis? quid ipſa vos tam immanis periculi cogitatio & imago perculit? nempè ſopitum incendium denuo exarſiſſet, revixiſſet extincta peſtis, & armatus perditorum hominum furor non Galliâ tantùm, ſed Europâ totâ impune graſſatus eſſet. Cernere videor jam everſa templa, direpta ſacra, ſpoliatas ſanctiſſimas domos & libidini patentes ac ſceleri, natantes in ſacerdotum ſuorum ſan-

guine pollutasque aras, omnia divina & humana jura violata. Tibi, Germania, impositum Imperatorem aliquem infectum dira labe, & instauratas quibus dirè lacerata priori sæculo fuisti, calamitates: tibi, Roma, pristinas clades illatas ac strages intueor. Vestrum, florentissimæ Christiani orbis provinciæ, interitum ac funus comploratum cerno.

Immortales tibi gratiæ, victrix Gallia; tibi, LUDOVICE MAGNE, ab ipsa Gallia & ab orbe Catholico rependantur, quòd hanc tutandæ Religionis mentem tanto in discrimine tam fortiter, tam apertè susceperis: vel hoc nomine uno vincere debuisti. Dum alii cessebant, alii quasi præstigiis quibusdam irretiti & incantati communem salutem deserebant, alii etiam prodebant: inventus es unus qui auderes contra omnes, atque adeo pro omnibus stare, & Religioni periclitanti subvenire. Una enim, quod vos non fugit, AUDITORES, una per Galliæ latus Religio petebatur: hoc illicio, hac escâ, hoc perdendæ Galliæ nomine, sceleratorum impietas tegebatur, proborum spes delusa lactabatur. Id Norembergæ, id Augustæ Vindelicorum, inter signiferos partium ducesque convenerat. Nemo præter LUDOVICUM occurrebat, qui nefariis resistere consiliis posset; qui ferè vellet, nemo. Eo stante ac

manente in Religionis quaſi vigilia, nihil ſe profecturos intelligebant. Hic petatur, in hunc per ſpeciem nimiæ illius potentiæ comprimendæ, potentiſſimorum hoſtium arma exerantur: obtendatur hæc invidiæ cauſa, hæc imperitis ingeratur: fœderati, dum Galliam perdere, dum ſuis privatim rationibus ſervire ſe putabunt, Hæreſi ſerviant, jacentem erigant, expulſam reponant in ſedem, extinctam luci, condemnatam aris templiſque reſtituant. Huc machinæ omnes, huc ſcelera conferantur. Rex innoxius, vicinus, quia LUDOVICO amicus, quia priſcæ Religionis apud ſuos inſtaurandæ cupidus, è ſolio deturbetur, civibus pacatiſſimis faces ad incendium civile miniſtrentur, Cæſar, Dynaſtæ, Principes, magiſtratus, minis, terroribus, pollicitationibus, impellantur: vulgi mentes infidæ per buccinatores erroris, partiumque ſatellites concutiantur, & præcipites ad vim, ad ſeditionem rapiantur. Deus immortalis! tantúmne in hæreſi furoris fuiſſe, ut hæc auderet! tantúmne roboris, ut poſſet! Vidit hæc LUDOVICUS. Subire diſcrimen omne ſtatuit, & Superis auſpicibus avita ſacra, regni etiam & capitis periculo tueri. Non vobis verſatur ante oculos vir ille fortiſſimus, cujus eſt præclarum in ſacris paginis nomen, qui cùm populares ſuos videret *junctos eſſe nationibus & venumdatos*

mundatos ut facerent malum, cùm priſcos majorum ritus ab impio Principe dirè protritos, ab univerſo ferme populo turpiter abjectos intueretur, unum ſe cum ſuis, tam piæ, tam juſtæ cauſæ vindicem profeſſus eſt? *Ego*, inquiebat, *& filii mei obediemus legi patrum noſtrorum.*

Sint alii, per me licet, Reges qui Religioni concilient auctoritatem apud ſuos & gratiam, colenda duntaxat privatim pietate; qui exemplo etiam præeant cæteris; qui contemptores Numinis legum ſeveritate coërceant, & graſſanti vitiorum licentiæ fræna injiciant, qui aulam ſanctè compoſitam, urbes moribus emendatas habeant: hoc in Regibus, inquam, aliis, & in LUDOVICO ſæpe ac meritò laudatum eſt. Verùm propoſita clade regni, vaſtitate provinciarum, urbium agrorumque depopulatione, amplecti nihilominus Religionis partes ab omnibus deſertas, tela in eam undique conjecta excipere, ſe ac ſuos devovere ob eam rem ac impendere, hoc enimvero LUDOVICI MAGNI fuit.

Et miramur tam incredibilem hujus anni, tam inexpectatam felicitatem, tot ſecunda prælia, tot collectas ubique lauros? Superûm agebatur cauſa, Superûm cauſa vicit. Illorum opus ac beneficium eſt, quòd Luxemburgius ducem veteranum aſtu circumvenerit, aciem ingenio loci vallatam, oc-

culto per aversos colles intinere superveniens ex improviso perturbarit ; perfregerit quodcunque obstabat , ubique adfuerit consilio , cursu , manu ; quòd unus & militis fortissimi & ducis peritissimi partes sustinuerit : quòd Mommoranciorum suorum egregias laudes & avita decora tam gloriosè revocarit. Iisdem Superis tribuendum est , quòd Catinatus vir domesticis & bellicis laudibus præstans , in quo modestia cum probitate , probitas cum fortitudine , fortitudo cum humanitate certat ; singularem in tentandis inaccessis locis & superandis solertiam , calliditatem in hoste ad iniquum certamen alliciendo , in arcibus munitissimis expugnandis fortitudinem exibuerit. Quòd classis nostra inspectante ac fremente nequidquam hoste fretum Gaditanum transmiserit, quòd inoffensum cursum procelloso mari tenuerit , quòd pugnam omnem pro sua insigni prudentia , & mirifico in rebus maritimis ac bellis usu Turvillæus tam solerter ac strenuè gubernarit. Quòd Estræus Comes à majorum virtute non deneger , Angliam exterruerit exscensione facta : quòd hostium agmen in adverso littore positum disjecerit ; eorum rates alias incenderit , alias demerserit, vadis alias & saxis illiserit , & in hoc toto bello patrui Eminentissimi prudentiam, parentis fortitudinem , avorum eximias dotes in se transmissas repræsentaverit. Quòd

clarissimi duces, quorum hîc laureatas imagines intueor, Lorgius, SERENISSIMO DELPHINO, LUDOVICI MAGNI delectu & voluntate, additus militiæ comes, consiliorum particeps & laborum socius, in quo fatale Germanis nomen, Turennius, in discipulo magister, in nepote avunculus felicissimè reviviscit: Bufflerius, Castroreginaldus, Amfravillæus, Dumæus, Gornæus, & alii complures, quos hîc nominatim non appello, ne, si omnes recenseam, oratio mea infinita; si aliquem omittam, ingrata sit: nuperos imperatores nostros & veteres illos multarum palmarum duces, in se veluti redivivos ostenderint, Galliamque non minùs ducibus, quàm militibus abundare docuerint. Quòd SERENISSIMUS DELPHINUS dignum se LUDOVICO patre; quòd se utroque dignos, lectissimi & Serenissimi Principes Borbonius, Contius, Cenomanensis, dignos suô sanguine, digno nomine, & Galliæ totius expectatione, præbuerint. Quòd nobilissimi tot juvenes, Galliæ flos & robur, eorum sint exempla tam fortiter imitati. Hæc omnia fuerunt ab illis ducta fontibus & causis, quas modò memoravi: asserta Regum majestate, Religione vindicata.

Pergite, Superi, custodes ac præsides Christianissimi Regis atque imperii, tam faustis adesse laboribus, causam vestram,

beneficia vestra, templa, ritus, aras tueri nobiscum pergite; secundate arma, fortunate consilia: prudentiam ducibus, militibus robur & animos, utrisque concordiam & consensionem aspirate. Facient, AUDITORES, modò illis omnia vicissim accepta referamus, idque hebeamus persuasum, quamdiu fidem Deo debitam, Regi obsequium, pacem Reipublicæ præstabunt Galli, tamdiu felices, tamdiu victores & invictos fore.



AD ORATIONEM DICTAM

ANNO M. DC. XCII.

EPISTOLA DEDICATORIA

EXCELLENTISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

JOANNI JACOBO

CAVALLERINO

ARCHIEPISCOPO NICÆNO,

SS. D. N. Papæ Prælato Domestico,

& Assistenti,

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ AUDITORI,

Apud

REGEM CHRISTIANISSIMUM

Nuntio Apostolico.



On deterruit hanc Orationem tenuitas sua, quominus totam se Tibi consecraret, EXCELLENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS. *Neque*

enim quantula esset spectavit, sed quantum tibi deberet. Hanc ornasti præsens luce dignitatis tuæ: hanc absens non parcius, quæ tua est humanitas, laudavisti; quin etiam ut eadem edita tibi repræsentaretur imperasti. Morem gerit, rogatque ut eodem natam intueri velis ore, quo nascentem aspexisti. Nihil admodum unde placere tibi possit habet, præter argumentum, quod, opinior, fecit ne cetera tibi displicerent. In eo quippe Religionem, ac Principem Religionis defensorem acerrimum agnoscebas, atque adeo, nisi fallor, etiam teipsum. Fuit enim hæc Oratoris felicitas ut ea sentiret ac diceret quæ prior ipse senseras; cum Regis Christianissimi, quem alloquebaris, gloriam in eo dixisti esse positam, quod hanc sibi debet ac Virtuti suæ, non Fortunæ. Felicem, inquam, me, qui tecum eadem de illo Gallisque vere celebrare hac tota Oratione potuerim. Te verò feliciorem, de quo non absimile quidpiam prædicari jure possit. Quod enim & Romæ jampridem tanto in pretio apud omnes ordines,

& apud Sapientissimum Sanctissimumque Pontificem fueris; quod in Gallia nunc tanto in honore sis, hoc potissimum debes tibi. Ego verò mihi vel eam ob rem vehementer gratulor quod isto, qualecumque est, munusculo profiteri palam id possim, non meo tantùm nomine, sed etiam totius Societatis nostræ; quæ cum multum tibi jam debeat, tum multo plus etiam, si vota nostra valeant, est aliquando debitura.



RES ANNO M. DC. XCII.

PROSPERE IN GALLIA GESTAS

VIRTUTI GALLICÆ DEBERI,

NON FORTUNÆ,

ORATIO

HABITA PARISIIS VII. KAL. DECEMBRIS

EJUSDEM ANNI.



UARTUS hic annus eſt, quum graviſſimo poſt hoc imperium conditum bello jactamur, EXCELLENTISSIME SEDIS APOSTOLICÆ NUNCIE, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, CETERIQUE AUDITORES ORNATISSIMI. Per id tempus etſi multa Galliam pericula circumſteterint, omni exterorum auxilio deſtitutam, & ſuis unius viribus animiſque fultam; etſi maximæ clariſſimæque victoriæ firmaverint eandem atque auxe-

rint : hoc tamen affirmare videor posse, nunquam aliàs illustrius quàm hoc anno fuisse perspectum, quid vera Virtus & ipsius Fortunæ victrix posset. Scitum est illud, grandibus cæptis ducem Virtutem, comitem Forunam esse. Licet enim egregia facinora designare consilio, ducere veluti manu; mentem, ut ita dicam, illis & animam aspirare Virtus debeat: tamen, ut humana sunt, oportet accedat Fortunæ quædam opportuna vis, quæ molles rebus gerendis aditus aperiat, multa quæ præter opinionem accidunt, avertat, iterque virtuti quasi sternat & complanet.

Hinc ille cultissimus rerum Alexandri Magni scriptor fateri non dubitat, eum multa Virtuti, plura Fortunæ debuisse: neque se tantùm Cæsar, sed Fortunam quoque suam venditare consueverat. Alia Gallorum hoc anno laus & pulcrior fuit. Quidquid videmus his paucis mensibus supra fidem & vota etiam nostra contigisse, totum hoc Virtus Gallica ducit suum. Hæc Fortunam plane vicit; hæc illam adversari aliquando visam ita sibi adjunxit, ut invitam, sequi; nolentem, parêre coëgerit.

Præclara laus, Auditores, & ceteris merito præferenda. Tunc enim summum gloriæ culmen videtur attigisse Virtus, cum Fortunæ secura, illam tenet in sua potestate, nec rerum dominam, vel comitem,

ut fere sit, & administram, sed ancillam habet.

Eò verò illustrior est ista Gallorum hodie gloria, quòd ea parte Fortuna Virtutem Gallicam oppugnaverit, qua parte manca esse ac debilis vulgò dicebatur. Quis enim nescit bellicæ Francorum fortitudini duplicem hanc à Gallici nominis obtrectatoribus imponi labem quandam & maculam, ut parum in suscepto labore constans, parum in resistendo valida esse prædicetur? Invicti forent, inquiunt, ac orbis facilè victores Galli, si tam essent in opere prosequendo firmi, quàm audaces in suscipiendo; tam in resistendo alacres, quàm acres in lacessendo. Hoc duplici, quod objiciebatur nobis, vitio Gallicam Virtutem hic annus absolvit. Urbis omnium munitissimæ obsidione post hominum memoriam difficillima constantiam nostram labefactare Fortuna conabatur; captum denique Namurcum est: hoc primùm. Debilitare alacritatem in resistendo nostram inexpectato prælio tentabat; hostis provocatione, numero, loco superior, victus ad Steinkerkam est: hoc alterum orationis caput erit.

Favebis, uti confidimus, dicenti, EXCELLENTISSIME SEDIS APOSTOLICÆ NUNCIE. Cum enim Francis omnibus atque in primis Regi maximo tam carus acceptusque sis, non potest tibi vicissim

cara non esse hujus imperii gloria. Neque hoc Francorum studio duntaxat, aut LUDOVICI MAGNI observantia & admiratione facis, verùm etiam religionis causa; quæ cum tibi antiquissima debet esse, tum verò ita cum præsenti rerum nostrarum statu conjuncta est, ut vincere Franci ac triumphare non possint, quin vincat cum illis triumphetque Religio. Atque ita sentis ipse, PRÆSUL EXCELLENTISSIME; audivimus enim quàm præclarè Christianissimum Regem in eam sententiam nuper sis allocutus. Excepit applaudens aula voces tuas, tanquam oracula quæ veritas ac justitia ore tuo dictaret; illo, inquam, ore, quo te responsa sapientiæ reconditioris ac decreta promentem, tot annos Roma illud amplitudinis dignitatisque domicilium, suspexit. Nunc Italia simul & Gallia maximarum rerum spem in fide, consilio, ac prudentia tua constitutam habent; ac fatetur utraque, non potuisse ad majorem Principem, à majori Pontifice, mamajorem virum delegari.

QUANTUM animos virorum fortium ad audendum accendit ingens & plenum periculi facinus, tantùm eorumdem ardorem restinguere diuturnitas operis, & longus exequendi labor solet. Quod facile pervicisset læta successu primo & impetu concitata Virtus, hoc ipsa dies & improbi la-

boris tædium, ne vinceretur sæpè fecit. Ea conditio videbatur esse Namurcensis obsidionis, AUDITORES. Ad hunc scopulum frangenda sensim & allidenda Virtutis Gallicæ constantia, nec temere, putabatur. Namurcum enim qui appellat, urbem appellat, ut nemo nescit, omnium quæ jam in Europa celebrantur, longè validissimam; munitarum urbium specimen quoddam absolutum; Hispanici Belgii antea propugnaculum; murum contra Gallorum impetus omnes oppositum, &, ut fama jactabat, insuperabilem.

Naturam, artem, elementa, homines, omnia, in ejus defensionem, hoc præsertim anno, diceres conjurasse. Natura eductis montibus, objecto duplici flumine, rupibus circumjectis, omnem non armis modò, sed ipsis penè oculis aditum obstruxerat. Naturam ars multiplici & exquisito labore superaverat; saxa saxis, congestos manu montes nativis montibus addiderat: lunatas moles, turres, aggeres, propugnacula, inter abrupta saxorum & rupium duxerat. Vel solam arcem qui spectaret, triplex esse arbitraretur oppidum munitissimum, adeo erat ampla & immanis; tria, inquam, oppida crederet, alia aliis prætenta quorum aliud ex alio, nova esset obsidione oppugnandum. Sedebat inter tot arces urbs regionis latè domina, & metum circumferens in

omnem partem, ipsa metuens nihil, grandi tributo oppida circumposita premebat.

Hinc adeo Condæus, ille cui nihil arduum, nihil inexuperabile unquam visum, heros bellici laboris ac periculi non minus prudens æstimator, quàm contemptor generosus: Condæus, inquam, non semel dixisse fertur, Namurcum ejusmodi offam esse (conceptis illius verbis utor) quæ nisi ægerrime devorari & concoqui, non posset; hoc est, Namurcum adeo ab omni parte firmum esse, ut omne illius expugnandi consilium temeritatis magis quàm audaciæ plenum crederet. Hoc tamen ille de veteri, ut sic dicam, Namurco prædicabat; quanto inexpugnabile magis hoc anno fuit? cum Orangius nihil adversus LUDOVICUM & Gallos satis tutum esse jam sæpiùs expertus, antiquis operibus addidisset novam arcem, saxorum impositam crepidini, & operosis substructionibus sese supra subjectos agros infesto culmine attollentem. Hic lectas cohortes, fortissimam pubem, collocaverat; hic annonæ vim magnam & bellicæ supellectilis, repositam habebat: hic spem rei bene gerendæ certissimam Bavarus, Belga, Hispanus, defixerant. Inde vicinarum urbium ruinas, inde Gallica fulmina, & furentis belli fragores securus hostis despiciebat: expectans dum tot abacta repagulis, tot obicibus repulsa & defatigata Gal-

lorum constantia, citra discrimen omne suum ac periculum, sua sponte fangeretur.

At enim, inquiet aliquis, hæc omnia naturæ, artis, industriæ præsidia num tandem instantes remorari Gallos, aut sistere poterunt, præsertim ut nunc res ab iis bello geritur? Ecquod oppidum tam undecumque septum, quod non expugnent? quænam arx tam invia, tam prærupta, quam non irrumpant? quod vallum, qui aggeres, quæ propugnacula fingi possunt, quæ non convellat strenui militis felix impetus, & conscia innatæ virtutis audacia; nisi ad ferendum obsessis auxilium præsto sit ad portas exercitus qui obsidentes vexet, arceat invadentes, excutiat castris, & obsidionem omni ope disturbet? Sic est, AUDITORES, neque hoc non vidit hostis: id præsidii Namurco non deerit. Eò convolant Germania, Belgium, Anglia, Hispania: stant sub signis, coram, in procinctu, centum ipsa bellatorum millia; in iis, Principes, duces peritissimi, milites fortissimi; exercitus denique maximus atque ornatissimus, quantum & qualem in istis regionibus nulla ætas viderat.

Quis urbi superbæ sensus fuit, cum se tam illustri stipatam corona, tam forti præsidio cinctam aspexit? cum de se, tanquam de imperio, certari vidit? Quis tibi autem sensus Gallia? Quot hostium millia intueris,

tot habes, ut dictitant ipsi, testes temeritatis tuæ, spectatores ignominiæ; at habebis, quod minimè rentur, præcones tuæ virtutis & victoriæ. Germanos, Belgas, Anglos, Hispanos, huc tibi præter spem inimica sors adduxit, ut collecti omnes à te gloriosiùs uno in loco vincerentur.

Quid? hæc omnia nondum satis sunt ad obsidionis difficultatem? nondum ad vota hostium, ad fortunæ quandam in nos invidiam sunt satis? nondum sunt: è cœlo petatur alius oportet hostis, perturbetur elementorum ordo, militet hostibus hyems pertinax, & suæ stationis oblita irrumpat in æstivos menses, corrumpat itinera pluviis, augeat fluminis gemini vortices perpetuis imbribus, castra Gallorum subitis eluvionibus inundet; omnia tristibus pruinis, inviso frigore, contracta, inamœna, & infesta teneat; non solùm cum hominibus, sed cum ipsis etiam elementis luctandum sit, eò difficiliori certamine, quòd moram afferat obsidentibus exitialem ac decretoriam.

En apertum virtuti Gallicæ & constantiæ campum, AUDITORES, hîc se, quanta quanta est, exerat; hîc tandem, quid possit, expromat necesse est. Latêre non potest, testem ac judicem Europam omnem habet. Conturbat vos, opinor, præteriti periculi recordatio licèt secura; terret hæc animos imago; militem nostrum non

terret ; accendit illum ac ſtimulat cognita præſentis periculi magnitudo : imminet alacer muris , obſidionem flagitat , ſignum depoſcit. Ecquid videris progredi ad mœnia phalanges expeditas , duce LUDOVICO & auſpice, pænè dixi commilitone? Ducitur vallum, ruptis immani labore ſaxis ; adrepit Gallus in propugnacula , in rupes volat ; igni , ferro , manu , vi , cautes aſperas , loricatas turres, duplicatos aggeres diſſipat, proterit , evertit : munimenta immani intus exercitu , foris centum hominum millibus , cœli inclementia , ſoli ingenio , artis & naturæ opibus , rupibus, fluminibus , ipſius famæ præjudicio quodam defenſa , cedunt , vincuntur , deduntur. Namurcum illud inexpugnabile , nunquam antea domitum , nunquam domabile creditum; cum tribus ipſis arcibus cernente Orangio , attonitis Hiſpanis , Belgis ſtupore ac deſperatione defixis , Europa tota rei novitate perculſa , captum , domitum, expugnatum fuit.

Quam tibi partem hujus victoriæ vendicas Fortuna , quæ Gallis præter modum favere vulgò diceris ? Quid inauſum potius & intentatum reliquiſti , ut eam nobis eriperes ? Quam ex iſta lauro frondem tibi decerpis, detrahiſque Virtuti ? Quam contra ſui muneris partem Virtus vera prætermiſit ? Quam , ut conatus tuos infringeret , admirabiliter non implevit ? Omitto nunc prudentiam

dentiam in opere disponendo, diligentiam in exequendo, vigilantiam in hoste antevertendo vel avertendo, sagacitatem in ejus consiliis aut detegendis, aut eludendis. Non commemoro insignem illam in hostium trepidatione ac metu LUDOVICI MAGNI tranquillitatem, ordinantis omnia, prospicientis, imperantis; ac diversas ducis, militis, regis partes, auctoritate, consilio, manu exequentem; parem omnibus muniis, omnibus majorem: illam amplitudinem regiæ mentis, quæ molem operis tanti ciebat una, & veluti fusa per artus magni corporis, suis illud motibus agitabat, librabat ponderibus, sistebat pro arbitrio, vel incitabat: illam in lætissimo rerum omnium successu moderationem, & in ipso belli felicis æstu, amorem pacis; cum laborem vincendi non alio consilio susciperet, quàm ut citius victoriæ fructu populos impertiret: illam in suos indulgentiam, cui ut morem gereret, impetum victoriæ retardavit, ac voluptatem aliqua ex parte imminuit; dum minùs vincere maluit, ut magis eorum incolumitati serviret; accîditque gloriæ suæ, quod accresceret bonitati: illam denique clementiam in hostes ipsos, qua eorum animos expugnabat dum caperet mœnia: satis hanc Namurcum superstes & integrum, satis numismata OPTIMO PRINCIPI, EXPUGNATORI URBIS ET CONSERVATORI novissimè

inſcripta, poſteritati commendabunt. Hodie animi magnitudinem in expetendis periculis, patientiam in ſubeundis laboribus, conſtantiam in perferendis, præſertim admiror.

Poterat urbem injectis belli fulminibus ſtatim diruere LUDOVICUS; poterat majore militum jactura, obſidionis moram, quod ſummi etiam imperatores factitant, redimere: id ipſe miles poſcebat, id ſuadebat hoſtis majorem in dies exercitum colligens; eventus rerum anceps, & alea martis communis lubrica, moram trahi longiorem vetabat. Sedet Rex nihilominus ſui ac ſuorum ſecurus: quod unius horæ ſpatio perfringeretur, ſi militi rem permitteret, diebus multis expugnari jubet; ſinit Orangium injicere pontes flumini, ejuſque tranſitum, quem minimo detrimento poſſet impedire, facilem & apertum offert; patitur hoſtes augeri numero, viribus valeſcere: in eorum oculis, totius operis formam, obſidionis modum, deſignatas animo victoriæ vias omnes, explicat; ut illi non ad ſpectaculum duntaxat accerſiti, ſed admiſſi ad arcana quoque conſilia viderentur. An quod triumphum eò majorem ſentiret ſuum, quò paratior hoſtis foret? An quaſi laceſſere Fortunam, ejuſque vim omnem & impetum provocare nobili fiducia non dubitabat? an etiam locum virtuti ſuorum & conſtantiæ demonſtrandæ dabat.

Quantum enimverò esse illam in militibus nostris oportuit, ut repetitis toties assultibus inaccessas prensarent rupes, easque gradatim pedetentimque superarent? ut nudato pectore, strictis ensibus, in hostium muris insidentium, & clypeis etiam protectorum ignes & gladios tam sæpè, tam fortiter incurrerent? ut in superatis murorum pinnis, utroque exercitu spectante & admirante, consisterent erecti perdiu, tum delapsi placidè ad ferreas cannas suo pulvere globulisque instruendas, eundem in locum, semel ac iterum ereperent uncis manibus, atque eniterentur, unde cladem afferrent hostibus, sociis victoriam aperirent? Ut obliquos ad urbem calles, per scissas cautes, per silicem multo ligone domitum, & comminutum, per humum glarea, cœno, argilla difficilem & intractabilem ducerent? In his tamen laboribus, in tanta rerum omnium difficultate, labor eorum qui operi præfecti erant, gravior erat, quemadmodum incumbentes in opus & insudantes abducerent; ruentes per diruti muri labem aliquam sisterent, inhiberent volantes; pugnam deposcentes, pro imperio retinerent.

An ille cæcus tamen & consilii expers impetus erat? Quid ira, quæ ut plurimum est præceps & constantiæ inimica, quid juventutis effrenata levitas, quid vincendi ardor

inconsultus peccavit? licebat admirari summam in Gallica nobilitate, in regia illa potissimum legione alacritatem, incredibili quadam firmitate animi ac moderatione temperatam. Ibant sui compotes adversum in hostem composito gradu; aspiciebant pericula ut ea despicerent; morem gerebant ductoribus, ut seipsos antequam hostem vincerent.

Quis autem complecti cogitando, quis assequi dicendo possit, quantùm fuerit sudatum in superandis imbribus, in vectandis per lutulentum & corruptum iter machinis muralibus, in annonæ caritate ac difficultate, ut necesse interdum fuit, toleranda? Erat humus limo & fœda uligine deformis, eadem gravi cœno tenax & instabilis ad gradum: hærebat luto impeditus miles, ac sæpè laterum tenus immersus, algens, uvidus, frigore constrictus; aut lubrico in solo fallentibus vestigiis lapsans corruebat. Hic tamen servare stationes, hic opus moliri, hic diem in armis ducere, noctem in labore ac metu insomnem trahere cogebatur. Tentoria, sarcinæ, jumenta, cibaria, imbre ac cœno miserè infecta. Obsidebamus instructos rebus omnibus, ipsi ab hoste, ab hyeme, ab commeatuum inopia, ut ita dicam obsessi: cumque vix liceret vivere, vincere nihilominus certum erat.

Reperias nempè nonnullos qui laborem quantumvis improbum fortiter ferre perbrevi temporis intervallo queant; in eodem perseverare diu & constare sibi, non concidere, non satiscere, hoc verò eximiæ cujusdam virtutis ac perdifficile semper fuit. Laborem enim & periculum prima fronte vix satis agnoscas: ejus gravitatem alacritas prorumpentis animi non sentit, magnitudinem occupata studio gloriæ & præstricta mens non videt. Verùm ubi refrixit ille ardor, ubi se collegit animus per otium, tunc aperit se periculi facies integra, & sæpè vel promptissimos debilitat. Perstitit sui similis, obsidione tota, Gallorum virtus, tam constans, quàm vivida; neque aut gravitatem laboris aut diuturnitatem perhorruit.

Eant illi nunc obtrectatores, qui Gallos audaces quidem in suscipiendo, at parum constantes in incœpto esse criminantur. Documento Namurcum erit, illorum audaciam non esse præcipitem animi furentis æstum, sed fructum impavidæ stabilisque virtutis: non extingui statim bellicos istos ignes, aut obice opposito languescere, sed manere tamdiu ac vigêre dum opere confecto, quasi jussi considant.

Video quid hic opponi mihi possit. Dixerit aliquis vestrûm, in tanta celeritate vincendi quis esse tandem constantiæ locus potuit? Hæc enim virtus commendatur

mora, cunctatione viget, nec tantùm operis difficultate, sed etiam diuturnitate spectatur; vix abiit mensis, Namurcum deditum audivimus. Valeret istud quidem, AUDITORES, si de aliorum quam de Gallorum constantia hîc ageremus; sunt qui unum, ut levissimè dicam, annum in expugnando Namurco posuissent non sine laude, putà qui in Ostenda capienda tres annos totos benè collocatos putaverunt. Non est adeo cunctatrix Gallica constántia, paulò est agilior; nec minùs laboriosa tamen & efficax. Quantùm alii anno uno, tantùm illa uno mense perficit, molitur, tolerat. Neque perficiendi celeritas ejus laudem, aut laboris gravitatem minuit; auget potiùs, cùm paucissimis diebus multorum laborem mensium & annorum exhauriat. Namurci expugnatio decennale opus aliis & labor foret; Gallis idem labor est, idem opus; at unius mensis opus est, mensis labor est.

Sed operæpretium fuerit, AUDITORES, hujus virtutis & constantiæ fontem agnoscere & venerari. Hoc robur videlicet, hos tuis animos faciebas, LUDOVICE MAGNE, testis omnium quæ gererentur, laudator, ac penè socius. Sive assiliret ad muros miles, sive cœcos ad mœnia tramites, & fossarum anfractus iniret; sive telis eminus, sive cominus certaret manu, ubique præsens, ubique dux operis, hortator & judex

eras. Tunc enimverò quod efficere nulla vis, industria nulla poterat, conspectus tuus pronum & proclive faciebat. Legebant omnes in oculis tuis omnia certissimæ victoriæ, hinc animos omnibus periculis, omni labore majores hauriebant. Dignus qui tales habeas milites; digni vicissim illi qui te imperatorem habeant! Dum eorum saluti non minùs quàm gloriæ consulis, dum parcis sanguini, dum eam laurum carius emptam putas, quæ tuorum cruore fœdata sit; dum præsentia tua, dum exemplo, dum periculo, mones & præis, facis ut ipsi nihil timeant sibi, nihil parcant: adeo ut ambiguum fuerit, an illi te magis victorem optarent esse, vel sui capitis periculo; an tu illos vicissim salvos & incolumes, vel tuæ gloriæ dispendio esse malles.

Neque parum ad eos accendendos SERENISSIMI DELPHINI exempla valuerunt. Ardor ille, quem à te acceptum ubique spargebat, insitos omnibus acuebat ignes eo magis, quod in illo teipsum intueri crederent, ac paternas in filio virtutes; audaciam sine temeritate, excelsitatem animi sine arrogantia, patientiam laboris singularem, regiam in suos munificentiam, prudentiam, fortitudinem, vigilantiam, cernerent. An non ea libentissimè imperia capesserent, quæ viderent illum abs te tam reverenter accipere, tam sapienter imponere cæteris, tam

fortiter per se quoque cum res ferebat exequi? Non se totos gloriæ tuæ devoverent, illius ductu qui tot in rebus quas præclarè hactenus gessit, nihil sibi præter obsequii decus vindicavit? sic à te tradita belli fulmina tractavit, sic illis hostium mœnia evertit, sic acies profligavit ut paternam agnosci manum & auspicia vellet, probaretque se, dum tibi paret uni, dignum esse qui cæteris omnibus dominetur.

Patere tamen, Rex, nos indulgere paulisper timori nostro, dum nihil indulges tuo. Cur in eum te promoves tam sæpè locum, ubi Marti tantùm in te liceat ac fortunæ, quæ sacros regum vertices perinde, ac infima gregariorum capita cruento petere gladio gaudet? Non candentes tormentorum globos ante pedes suos volvi? Non vulnerari assidentes lateri tuo duces, non Serenissimum Comitem Tolosanum in tuo pænè sinu ignea percussum glande cernis? multò commodius rem hostes gerunt. Circumagunt ingentes copias & ostentant; sed interposito semper flumine: fabricantur Pontes, sed quos adventante hoste solvant: minas graves intentarunt Gallis, at procul: promissa Belgis & verba caro vendidere; sed ad meliora tempora homines prudentissimi reservarunt.

Sed quid autem hic moramur? Jam capto Namurco, arce dedita, fœderatorum exercitus

citus abſceſſit. Spirant ultionem truces, & indignabundi vultus, meditantur aliquid magnum, vicem Gallis reponere cogitant. Sequamur diſcedentes, & quorſum evaſuræ ſunt iſtæ minæ, altera parte orationis contemplemur.

Poſt ereptum hoſtibus Namurcum, conjecti erant in fœderatos Europæ totius oculi quæ tacitis illos vocibus, ac penè convicio, ad eluendam ingominiam ſtimulare videbantur. Belgium ſuos defenſores, ſuos ultores Hiſpania, fugientes inclamabat: Germania & Anglia ereptam ſibi pugnæ copiam, hoſtem auctum honore & viribus querebantur. Triumphabat Gallia, urbem unam quæ invicta credebatur, vix evoluto menſe, domitam; revulſum Belgii clauſtrum, quo effracto aditus in agrum Leodienſem, in Hollandiam, in omnem Germaniam inferiorem, pateret: omnia denique aperta victori & obvia. Urebant iſta quidem fœderatos omnes communiter, at Orangium tamen præ cæteris, qui ſocios ludificatus fuiſſe arguebatur, utque Exercitum incolumem retineret ſibi, arcem Belgii primariam Gallis permiſiſſe. Quid agat, AUDITORES, quo tandem pacto ruentem famam, parteſque fulciat? Conferendæ ſunt cum hoſte manus, aut afflictis rebus omninò deſperandum. Videt ſe peditatu pollere, nec dubitat ſi equitatum fugere aut impe-

dire nostrum possit, si Gallos nec opinantes lacessere, quin Marte nunc tandem utatur secundo, & fortunam pariter ac victoriam in suas partes trahat. Nondum satis gnarus videlicet quam sui similis Gallus, seu eques, seu pedes; quàm æquè in hoste sustinendo alacer, atque constans in lacessendo; quam parere fortunæ ac cedere nescius.

Sanè hoc habere Galli dicebantur, ut defendendi & sustinendi partes obirent minùs libenter & commodè quàm lacessendi & aggrediendi, sive quòd in lacescendo major quædam sit militaris gloria, & cum rerum indole acri, & præfervida conjunctior; sive quòd assueti vincere, & nihil, quod moram afferat pugnantibus, offendere, consuetudinem non habeant resistendi, atque artem hanc minùs callere videantur. Id cogitans Princeps in omnem vincendi occasionem imminens provocare eos prælio, & ad resistendum adigere quàm posset iniquissimis conditionibus omninò constituit: diem designat, rem silentio premit. Simul abire diversa huc agmina, famam & nuncios disseminari jubet, quasi Namurcum, aut Dunkerkam petiturus brevi foret. Instabat fatalis dies, primarios duces sub noctem vocat, renunciat quid ceperit consilii; exploratam sibi regionem omnem sepibus, rivis, saltibus intersectam: in ea si pugnetur, hosti certam cladem, ipsis decus im-

mortale partum esse. Sub hæc agmen expeditum rapit, jamque adest cum infestis cohortibus, jam Gallicis sub lucem, castris imminet improvisus. Fortunam hic (fatebor enim AUDITORES) planè habebat suam, quæ loci opportunitatem, & eam, quam pridem expetiverat, pedestris pugnæ copiam ipsi offerebat. Jam hostium cohortes explicatas in oculis Galli habent, tormenta subvecta, ferreis cuspidibus armatas trabes, hericios olim, nunc equos Frisios vocitant; omne telorum & machinarum genus: ingruere sibi propè imparatis diram inexpectati prælii nubem cernunt. Hîc ego vos AUDITORES, consulo, quàm multa occurrebant, quæ vel fortissimorum animos infringerent, ac fortunæ vim quomodo declinandam suaderent? Ingentes copiæ altero fere tantò majores Gallicis; locus abruptus & equestri prælio minimè idoneus; hostilis peditatus, pugnacissimarum nationum flos & robur. Ad hæc magna pars exercitus nostri remotior, quàm ut adesse tempori & inferre signa posse videretur. Quàm multi satius duxissent hostem intra vallum opperiri, & se castrorum præsidio defendere! Facessite ignava & ignota penitus Gallicæ virtuti consilia: prorumpit è castris miles neque quot sint hostes, sed ubi sint, quærit: aciem raptim digerit in angusto, salebroso, & impedito campo Lu-

xemburgius, fatale Belgis & amicum victoriæ nomen. Nec mora hostis lacessit, circumfunditur, occursat; irruunt ex editiore loco in sinistrum cornu magnis clamoribus Dani & Angli ac furore quodam æstroque perciti, adoriuntur oppositos sibi manipulos. Stat Gallus in eodem vestigio nec multitudine hostium, nec impressione subita conterritus; uno cæso, alter suffectus in ejus locum & virtutem subit; miles ducis, dux militis necem ulciscitur. Crudescit pugna. Horis ipsi octo certatur eminus sclopis minoribus, pari ardore, sed adeo impari numero, ut vinci nunc tandem Gallos posse, hostes confiderent. Quid equitatus interim noster AUDITORES? siccine periculi expers & pugnæ stabit? lentus erit alienæ victoriæ spectator, cujus actor esse ardet? itane tot devotos gloriosæ neci pedites cruenti prælii discrimen & aleam omnem subire, fortunam numero fidentem & loco insultare virtuti patietur? Non feret. Desiliunt ex equis Duces, Principes Carnotensis, Borbonius, Contius, nobilitas omnis: conclamant rem strictis ensibus & manu transigendam. his armis pugnare Gallos, his vincere. Statim abjectæ ferreæ fistulæ, omnium in manibus enses arrecti micuerunt.

Nimirum in hoc pugnæ genere, in his tractandis armis bellicæ virtuti locus est,

AUDITORES, ignavissimus quisque sæpè fortissimum eminus interemit, cujus nudatum ensem, ac ne vultum quidem cominus sustinere potuisset. Quam sæpè clarissimos Imperatores, quorum capiti & gloriæ plurima & maxima pericula pepercerant, ignis perfidus & explosa in incertum letifera glans, inultos & inglorios confixit! verùm ubi ad gladios ventum est, ubi vir viro commissus, tum demum qualis quisque sit intelligitur: & intellectum in hoc Stemkerkensi prælio sane fuit. Vix terribiles Gallorum manus nudo fulgentes ferro, vix procedentem irretorto vultu inter horridos tonantium undique ignium crepitus, imminentemque sibi peditem vidit hostis, cum subito relanguit qui furentem rapiebat ardor; hæret, frangitur, cedit. Urgere Gallus alacer atque instare turbatis ordinibus: mox torrentis ritu, quem iniqua moles luctantem & indignantem diu coercuit, effundi ac ruere omnem in partem, sepes & fossas transilire, hostes confertos cæsim punctimque trucidare; ac toto campo nunc resistentes, nunc palantes dejicere, hebescunt enses feriendo, deficiunt retusi gladii generosas manus: ergo ut pugionibus, iisque etiam fractis, ipsos gladiorum capulos, & quidquid loco teli victrix ira subministrat, ad perrumpendum quodcumque obstaret abhibere. Jam recepta erant

quæ amiseramus in æstu primò certaminis, bellica tormenta; hostilia duodecim insuper capta, quasi gloriosi fœnoris loco: totæ hostium cohortes brevi dissipatæ & confectæ, vix ut in plerisque vigesimus quisque superesset: fœda ubique strages, extructi passim cadaverum acervi, oppletæ viæ, obstructæ semitæ, valles ac fossæ cumulatæ: horti, lamæ, prata sanguine, ac tabo natantia. Vulneratorum ac mutilorum numerus multò major, quibus capiendis non pagi, non urbes suffecerunt. Fere omnium tamen in manibus enses adhuc post mortem erant, in pectoribus vulnera, in vultibus minæ. Habeat hic suam vel in hoste laudem Virtus: obsolescit belli gloria in levibus adversariis, nec magnos animos probat nisi magnus hostis. Cæsa denique octo decemve, ut minimum, millia, reliqui omnes in fugam compulsi, & campo, tormentis, vexillis relictis, per noctem vix tenebrasque servati.

At, at, unde tanta paucitas vexillorum, in anta clade? nolite, mirari, AUDITORES: ne plura caparentur, Dux hostium providerat. Memoria tenebat, sua signa post Cassellianum, post Fleurusianum prælium magno numero in Galliam deportata, Parisinis adhuc in templis spectaculo & ornamento esse. Itaque signorum numerum minui paucis ante pugnam diebus jusserat, &

ſingula duntaxat ſingulis legionibus præferri, ut ſi quid præter ſpem eveniret, gravioris jacturæ cladiſque probrum ſaltem, & famam effugeret.

Mihi verò quin licet, AUDITORES, militum noſtrorum ac ducum egregia facinora perſequi! Tanta fuit omnium virtus, etiam manipularium; tam mira, tam incredibilia variis in locis, ac diviſis in campo inæquali prœliis, geſta memorantur, ut fidem omnem ſuperent.

Veſtra tamen præ cæteris, Sereniſſimi ſtirpis regiæ Principes; veſtra, inquam, fortitudo in ſe omnium oculos admirationemque convertit. Vos exemplo militibus præiviſtis, vos labore veſtro victoriam, veſtro etiam ſanguine præcipuè peperiſtis: adeo ut hæc Principum appellari victoria jure poſſit.

Téne aſpicio, Borboni, ſuffoſſo equo dejectum, reſurgere alacriorem, & in media pericula impavidum ruere? Quocumque raperis, Patris & Avi fata fortunamque tecum ferens, animos feſſis, laudem ſtrenuis, omnibus exempla, quæ ſequantur læti, præbes. Meminerat miles ab Namurcenſi obſidione recens, quid illic egiſſes, quàm præclarè domeſticam gloriam ſuſtinuiſſes; neque te aliis oculis modò quàm antea Condæum, quem in te reviviſcere lætabatur, videbat. Atque huic tuæ fortitudini præ-

mium ingens à Superis concessum est, filius paternæ & avitæ virtutis heres olim futurus. Felices & benè ominatæ infantis Serenissimi cunæ, quibus ego non flores, ut aliàs fieri consueverat, sed paternas ingeram lauros, ut earum in umbra, fortunata proles adolescat. Neque aliud ejus natale sidus esse velim, atque astrum ejus diei, quæ te hostium spoliis onustum in castra Gallica redeuntem aspexit. Hic porrò nobis licuerit, AUDITORES, nostro erga Serenissimum Principem animo indulgere: habet hoc Lyceum cur illi præcipuo quodam jure suo gratuletur, ubi ejus virtus in isto musarum erudito pulvere prælusit.

Quid autem prædicare de Serenissimo Principe Contio possum, quod publica consentiensque omnium vox jampridem non prædicaverit? Qui cum animadverteret periculum esse, ne pars Gallici peditatus locorum iniquitate præpedita, sub initium pugnæ, & ferreo vexata nimbo, laxaretur demum & fatisceret, collegit bis terque legiones in unum, & læva militare signum, dextra nudum ensem attollens, thorace etiam projecto, ac relicta duntaxat transversa tænia cœrulea; credo ut conspectior, & suis ad imitandum, & hosti ad feriendum, foret; diu stetit pro tormentis, grandinem letiferam undique crepitantem excipiens solus, effecitque ut miles exemplo

ascensus, atque adeo insito in suos Principes ac stirpem regiam studio, de vita mallet quàm de statione demigrare. Quid dicam, ut in primum deinde agmen stricto acinace provolans, ducem se disjectis ordinibus obtulit non semel, & quos funeris præclari socios habere non recusabat, fecit participes gloriosissimæ victoriæ? O solem illum beatum qui certamen hoc nobilissimum vidit inter Serenissimos Principes, militesque nostros utri promptiores ad subeunda gravissima pro Galliæ salute pericula viderentur.

Tu verò Carnutum Dux egregie, quem nominari primùm omnium & prædicari par erat, cur tibi debitam ac tuæ fortitudini laudem tribui non sinis? Quò enim te colimus magis, eò minùs licere nobis putamus morem tibi non gerere. Scimus quibus verbis ad Serenissimum parentem tuum scripseris post confectum prælium, in quo non leve acceperas vulnus, cùm te omnium sermonibus in aula, in castris, in urbe celebrari videres; significasti scilicet, dolere te quod tantillum vulnus tantam apud homines commendationem haberet: obsecrasti ut famam premeret. Contium vidi, sic enim scribebas, & stupui: rem ille tam strenuè, tam fortiter gessit, ut eum dici & celebrari oporteat, de me sileri. Nimis duram nobis imponit modestia tua legem. Et laudabitur,

ut par est, Contius, Princeps fortissime; nec de te silebitur. Prædicabit Gallia, dum erit, fortitudinem tuam in prælio, & in vulnere ferendo magnitudinem animi, quæ tanta fuit, ut illo strictim & leviter obligato, nulla interposita mora, tuorum te manibus eripueris, & mediam in aciem oblitus vulneris ac vitæ, denuo conjeceris. Quibus te redeuntem gaudiis Serenissimi Parentes amplexi sunt! quàm cupidè vulneris illius notas relegerunt oculis, ex quo agnoscerent, & quæ tua sit virtus, & quàm Superis carus extiteris!

Quem autem hic magno luctu saucium & semianimem asportari cerno? Agnosco Turennii nepotem. Occidis, generose Princeps, post tot collectas in Gallia, in Hungaria, in Germania, in Belgio, in Italia, spatio vitæ tam brevi, palmas; occidis! Quantam spem in præstantissimi juvenis ingenio, scientia rei militaris, fortitudine, comitate habebas repositam Gallia! Turennium tibi totum reddidisset. Cadis etiam Bellefonti! heu decus magnum futurus clarissimi parentis, & dignissimi qui pietatem suam, notitiam artis bellicæ, fortitudinem, ac ceteras dotes egregias, filio non degeneri traditas, in eo longum florere cerneret!

Necem tamen vestram, Illustrissimi juvenes, hostium clades vobis funere suo pa-

rentantium, & patriæ victoria consolatur. Vos verò, fortissimi Duces ac milites, è tanto discrimine servati; Villaregi, hostium terror, non minùs quàm aulæ deliciæ; Montalte, cujus emerita virtus in triumphis consenuit; Bufflere, qui postremus advolasti, ut inter primos vinceres: quid alios appellem, quos Gallia memor æternùm loquetur? Vos, inquam, vestra gloria, vestris periculis, & irata Fortuna fruimini: numquam illa tantùm famæ vestræ prodesse potuit amica, quantùm profuit adversa. Quam dulce tibi erat, Luxemburge, tergeminam videre prolem, paterno hærentem lateri, per hostes ac mortes medias tecum erecto vultu volitantem? Perfectum, hoc prælio, te Duce, ut hostes intelligerent quid peditatu Gallia valeret. Illo, inquam, peditatu quem despiciebant; cum quo si possent congredi, debellatum putabant; cujus acres quidem impetus ad lacessendum esse, at minimè pares ad resistendum, jactabant. Quid possemus equitatu paulò ante docueras, cùm florentissimas eorumdem turmas ad internecionem exigua manu cecidisti: nunc utrobique inferiores & pusi Gallicam Virtutem quocumque belli genere superiorem esse fateantur.

Quocumque dixi: ne maritimum quidem prælium exceptum volo: in quo si quid illis è sententia cessit, hoc Fortunæ refe-

sant acceptum. Neque id ipsi diffitentur: atque haud scio an ulla fuerit pugna, unde plus ab hoste laudis tributum hosti fuerit. Ego verò illud sponte prædicabo, & præ me feram, AUDITORES, in hoc certamine omnia fuisse Gallis adversa, ventos, mare, cælum, terras, littora. Idem tamen affirmare non verebor, nunquam in ullo navali prælio, quanta Gallorum esset virtus bellica & gloria, clarius patuisse: imò verò geminam acriter lacessendi & sustinendi fortiter, laudem in eo collectam elucere. Age enim in tam diuturno, tam impari congressu, in quo nostræ naves vix undevigenti cum octoginta hostilibus maximis & instructissimis erant compositæ: quid egit Turvillæus, vir & sua virtute & judicio Regis & hostium præconio tantus? Quid miles, quid nauta commisit, totis decem aut duodecim, quibus decertatum fuit, horis, cujus pudere Galliam aut pœnitere possit, quo gloriari meritò non debeat? Hostem tantò numerosiorem declinare cùm liceret, ultro aggressus est: naves aliquot depressit, multas vehementer debilitavit; locum & mare, quoad per malaciam & caliginem licuit, contra vim tantam hostium: innoxius & incolumis tenuit: totam deinde noctem in eodem, in quo fuerat commissa pugna quasi gradu & vestigio, immotus constitit: ad extremum, à vento proditus, coortis tenebris dissipatus,

ac divisus, ne desiderata quidem scapha, discessit. Hoc nostrum: cetera fortunæ fuerunt.

Quid actum verò ab hostibus in prælio ipso fuit, cur se vicisse glorientur? Quot naves Gallicas demersere? nullas. Quot velis & armamentis exuerunt? nullas. Quot circumsessas, id quod in tam exiguo numero pronum erat, abduxere? nullas. Quid postea? num littoream urbem aliquam occuparunt? num oras exscensione facta depopulati sunt? num cladem alicubi nobis intulerunt? At non ita viceramus ante biennium in Caletano freto, cum Anglos conjecimus in fugam, cum Batavorum classem diffregimus, cum rates ipsis duodeviginti eripuimus; cum palmam nobis & mare sua contectum strage reliquerunt.

Nihil ipsis restare video, ubi se ostentent atque efferant, nisi Delphinatum; cujus extremos fines populabundi concursarunt: in quo Ebredunum, urbem minime munitam, vix tandem post dies duodecim, multis suorum millibus absumptis, ad honestissimam deditionem compulerunt: oppidulum unum aut alterum vacuum ac desertum, cum pagis aliquot, incenderunt: mox copiarum imminentium & ultionis, quam fugere se non posse vident, metu pedem trepidi retulerunt. Nec longus iste, vel inanis metus erit. Erit cum magnò redemptam

incursionem hanc, & infectam, credo, volent. Interim nos in iisdem finibus Pinarolium, cui jampridem inhiabant, tutati sumus; res bello feliciter partas servavimus in Germania: Deus immortalis! quàm læta rerum occurrit facies! quæ nova series victoriarum properantem ad exitum orationem sistit! Hic hostes obsidionem turpiter solvere coactos multis in locis; illic in castris suis deprehensos, & deserto vallo, projectis armis, auro etiam relicto, in fugam effusos, ac promiscua cæde trucidatos video; sex aut septem admodum, è nostro exercitu militibus, quod incredibile videatur, amissis. Illic urbes amplas, & bene munitas, à nobis expugnatas; Vittembergensem Ducatum totum, vel ereptum armis, vel hibernis nostris occupatum, vel metu consternatum cerno. Ibi exultantem impune Lorgium, ac suo ductu, & verò LUDOVICI auspiciis, arma victricia circumferentem; ibi Harcurium persequendis ac mactandis ad satietatem fugacibus turmis dafatigatum: illos exercitus è tot populis tam dura conquisitione conflatos, illos cataphractos milites, quorum fama, quorum armis, quorum ipsa mole obterendi videbamur, partim inutiles & otiosos, ac ne ora quidem Franci militis aspectare ausos intueor. Quàm illustria virtutis Gallicæ monumenta! quanta laudandi, si temporis angustiæ sinerent, seges!

Sed hic dicendi finis sit, AUDITORES, satis superque persuasum vobis arbitror, annum hunc, in aliqua fortunæ iniquitate, felicissimum Gallis & gloriosissimum extitisse. Arma nimirum nostra Superi, causamque sic probant; sic fortitudini Gallicæ & virtuti favent. Illis auspicibus, hac Virtute duce, præsertim cùm Gallorum nunc vires & animi conjunctissimi sint, & huic imperio præsit Rex, de cujus æquitate, prudentia, pietate, ac felicitate, dici ut dignum est, nequit; nihil erit profectò nobis à fortunæ invidia vel temeritate, quæcumque ingruant pericula, metuendum. Quamquam, AUDITORES, satis jam, satis bellicæ virtuti datum est: suus utinam sit virtuti pacificæ, pacificis artibus aliquando locus! Illucescat ille dies, qui amica foro & placidis legibus otia, religioni tranquillitatem, dissidentibus populis concordiam, restituat. Redeat aurea pax, & omnium expetita votis: hæc funestas extinguat faces, hoc Europam exitiali bello concussam respirare ac florere jubeat. Deponat hostis arma, pacem fessus optet, ac virtutem Gallicam laudare sospes & amicus, quam iterum experiri victus, malit.

DIXI.



QUAM EST POPULIS OPTANDA PAX, TAM ERUDITIS BELLUM LITERARIUM EXPETENDUM ESSE;

ORATIO.

HABITA PARISIIS VII. KAL. DECEMBRIS ANNO MDC. XCIV.

IN hoc tam difficili, quo Europa tota jactatur bello, cujus non victos tantùm ſed ipſos quoque victores piget, an ſatis prudenter facere videor, qui ad bellum & arma vos nihilominus vocem, AUDITORES ILLUSTRISSIMI? an ipſum belli nomen fugiendum potius non fuit? non oratio mea, non animi veſtri ad pacem laudandam, optandamque traducendi, quò populorum vota, quò ſpes omnium cogitationeſque rapiuntur? Tam dulce pacis nomen ſcilicet, tam

tam popularis appellatio est, ut in illa expetenda felices pariter ac miseri, hostes & amici, communibus studiis votisque conspirent; quàm luctuosa verò belli vel gloriosissimi facies, quàm tristis & horrida! Quis eam animo cum effingit, non informat monstrum immane, quod pavor antecedit; comitantur vis & furor; vastitas, strages, incendia consequuntur. Natat medio in sanguine crudelis bellua, inter cadaverum acervos sedet, in urbium fumantium cineribus & ruinis regnat, lacrymis miserorum, egestate, internecione pascitur.

Laudet verò bellum juventus æstuans gloriæ cupiditate, ac venales morte lauros quærat; sint per me licet, apud quos tam suaves illecebras cruentus armorum ludus habeat, ut nullam viris fortibus sine bello vitam esse, nullam constare partem laudis posse arbitrentur; sint quos idcirco militaris ille campus delectet, quod in eo versentur tam feliciter, ut addicta illorum signis victoria, & mancipata videatur; quorum acres ac subitos impetus nulla vis sustineat, nulla regionum intercapedo celeritatem retardet, nulla fossarum ac munitionum repagula impressionem arceant; quibus quò majorem objicis numerum hostium, eò majorem triumphorum materiam subministras.

Non sunt ea tamen omnia, non sunt

tanti, si cum pacis suavitate commodisque conferantur. Quis verò est rerum bene fortiterque gestarum fructus, nisi bellicos labores alma pax aliquando consoletur? Et adsum ego tamen qui hodiè de bello dicam, qui bellum suadeam? sic est, AUDITORES, sed bellum incruentum, non matribus detestatum, non divitibus fortunatisque metuendum; bellum, ut ita dicam, pacificum, quod stilo geratur, non gladio, quod ingenio non lacertis peragatur, quo excolantur & vigeant animi, non corpora debilitentur & pereant: bellum uno verbo tam optandum Reipublicæ litterarum, quàm pax vulgo publicis rebus videtur expetenda.

Ceterùm cùm multæ & magnæ sint hujus belli utilitates, tum verò necesse est ut suis quibusdam legibus regatur. Itaque de illius utilitate primùm dicam, deinde leges illi quæ videntur idoneæ præscribam. Certent acriter inter se viri docti ut floreant litteræ; statuantur istis certaminibus leges, ne quid in ipso belli æstu peccetur: utilitas belli Litterarii, leges belli Litterarii, hoc geminum orationis caput erit.

Quamvis egregium illud bellum quod est inter eruditos, & belli nomen & speciem aliquam præ se ferat, nolite tamen de illo existimare ad eum modum quo de bellis vulgò existimamus. Paci, quam bello similius litterarium hoc bellum est: ita pacis ut i-

litates omnes ac commoda complectitur. Enimverò quid habet proprium ac peculiare civilis & publica pax ? geminam præcipuè dotem habet, (AUDITORES.) Prima est quod mortalium vitam & caput servat, dumque saluti singulorum & incolumitati consulit, simul familias læta sobole, urbes civibus, regna incolis complet. Altera est quod opes hominum & fortunas pax eadem non modò tuetur, verùm etiam auget atque amplificat. Hoc igitur contendo non aliud eruditi belli decus esse, aio geminam utilitatem in viros doctos ab eo proficisci. Complures eruditos procreat, eorumdem litterarias opes thesaurosque doctrinarum ita conservat, ut ingenti etiam accessione cumulet.

Quàm dulce præbet spectaculum aurea pax cum regna pulcherrimis & maximis civitatibus consita, civitates domibus numerosis plenas, domos multa prole renidentes, offert ? Cum videre est senes provectos annis quos diuturna felicitas ab tumulum usque prosequitur, juvenes tam lætos longioris vitæ spe quàm cupiditate. Parentes quos iste non sollicitat metus ne suos liberos non habeant superstites. Quàm deformi contra spectaculo bellum oculos ferit, cum oppida vacua, desolatas familias, corpora dirè truncata, confecta morbo, fame, ferro, ac spirantia potiùs cadave-

ra tristes insani martis reliquias exhibet?

Sed hoc illius cruenti sanè belli sit: ejus de quo agitamus, prima dos & gloria est quòd milites suos fœcundò proventu multiplicatos auget, quod illo docti procreantur ac nomen eruditorum & genus accrescit. Quid ita porro? quia hæc præclara certamina magnam cognoscendæ veritatis occasionem, facultatemque suppeditant, acuunt ingenia, stimulos æmulationis & gloriæ subjiciunt. Quod ut facilius intelligatis, ponite vobis ob oculos imaginem istius belli, AUDITORES, cum classicum cecinit veritas, & ad arma litterarum cultores evocavit. Hæc enim ejusmodi bellorum, quæ inter ipsos oriuntur & causa & præmium est. Illam eruunt Philosophi, Theologique, vestiunt Grammatici; comunt oratores; Historici proponunt; Poetæ pigmentis suis illinunt. Hæc res una omnium est pulcherrima sed abditissima; quam ambiunt ac sectantur omnes, quæque omnes ferme fugit; quæ, cum maximè quæritur, latet; cùm teneri creditur, excidit: quam hic procul & in umbra sublustri positam, ille dimidiatam, alius larvatam & personatam videt.

Hanc dum quisque vindicat sibi, dum aliis eripere, & in suas trahere partes nititur, dum eandem contra invadentes tutari studet, quid fit? AUDITORES, nempè

ad ipsam pernoscendam diligentiùs incumbunt omnes, investigant latentem, involutam evolvunt, illustrant obscuram, obsoletam & incultam ornant: ejus vestigia veteribus impressa monumentis, annalibus consignata, litteris uspiam prodita, scrutantur & relegunt. Adjuvant majorem in modum Critici, qui militarem disciplinam in acie litteraria maximè continent, ac ne quid alienum & adulterinum veritati affingatur, cavent genus hominum ut scitis, sagax, accuratum, subtile; sed morosum, difficile, severum; acerrimam de laboribus eruditorum quæstionem habent. Vivos perinde ac sepultos, notos & ignotos ad tribunal suum sistunt: nihil eorum acumen fugit, nihil severitatem exorat. Sæpè ubi se scriptor amare plurimùm est visus, ibi censuram graviorem exercent: ubi clementiùs ignovit sibi, minimùm eidem ignoscunt. Non vulgi famam auctoribus ineptè blandientis, non amicorum favorem ac benevolentiam, non minas inimicorum clamoresque reformidant.

Jam à vobis peto, AUDITORES, quid aptius eruditis quasi procreandis fingi possit quàm iste labor & cura cognoscendæ, ornandæ, propugnandæ, & excutiendæ veritatis? præsertim si ad eam detegendam ingenii major quædam lux & præsidium accedat. Age verò quid ingeniorum elimat-

aciem, vim & ſubtilitatem exacuit certiùs, quàm conflictus ille, quo inter ſe committuntur ac dimicant? Conſtricta ſunt mole corporis ingenia mortalium, AUDITORES, ac velut igniculi ſilicum in venis, abſtruſa: quo tandem pacto exprimuntur cæleſtes illæ ſcintillæ atque extunduntur, niſi attritu crebro & jactatione? fac eſſe immota & quieta; frigent; nulla ſunt: collide alterum cum altero, exiſtet ignis inſitus & ad objectas veritati difficultates perrumpendas emicabit.

Quàm multos recenſere poſſem, qui cùm deliteſcerent ignavo in otio, ſegnes, imperiti, ſibi aliiſque ignoti, poſtquam ad hæc arma ventum eſt, non ſolùm auxere numerum eruditorum, & inſigni doctrinæ laude floruerunt, verùm etiam compluribus aliis facem ad hæc ſtudia & bella prætulerunt? Non deerat illis ingenium; voluntas & eruditio fortaſſe non deerat; deerat occaſio quæ facultatis expromendæ locum daret, deerat gloriæ ſtimulus, qui ceſſantes urgeret: deerat æmulatio quæ vim nativam & indolem erigeret.

Habet hoc eruditorum natio ut laudis & gloriæ ſtudio vel maximè ducatur, neque aliud quidquam viros excellenti doctrina præditos accendit magis, aut ad eorum numerum augendũ plus valet quam ſi habeant aliquos ejuſdem laboris æmulos atque artis,

quorum laude utantur, quorum exemplis acuantur. Quid aliud verò causæ fuit cur homines in singulis artibus præstantissimi (ut prudentissimus Romanarum rerum scriptor observavit) eodem ferè tempore nec eo longissimo, simul quasi ex composito sint exorti, cur una eaque non multorum annorum spatio divisa ætas protulerit Poëtas clarissimos Æschylum, Sophoclem, Euripidem: una Cratinum, Aristophanem, Eupolidem; una Menandrum, Philemonem, Diphilum, Cæcilium, Terentium, & Afranium: una celebertimos Philosophos, Oratores, Historicos? Exarsit videlicet inter æquales æmulatio, quæ illos partim admiratione, partim invidia ad imitandum & vincendum incitavit.

Cogitate pugilum par in eadem arena commissum spectante frequenti cavea, & oculis animisque suspensa; ut alter alterum eminus explorat ac tacitis luminibus metitur! ut corpore, nunc erecto, nunc depresso, nunc obliquato procurrunt in sese, recedunt, sistunt, declinant, fingunt, feriunt, non de suo magis capite, quàm de fama & existimatione solliciti. Tales eruditos putatote, quos nobilis vincendi ardor composuit: hunc fama pridem collecta, colligenda stimulat: huic animos addit ætas & eruditionis conscientia, illi pudor & ignominiæ metus. Utrosque orbis eruditorum

spectator certaminis, & arbiter, accendit.

Ego verò videre videor, date mihi quæso hanc veniam, AUDITORES ILLUSTRISSIMI, ut domesticis & propioribus, quæ totius Europæ oculos hoc anno defixos mirantesque tenuerunt, exemplis utar. Cernere, inquam, videor Gallos æmulatione præclara succensos, partam hactenus gloriam ubique fortiter ac prosperè tueri, ad Rhenum, ad Alpes, ad Pyrenæos, ubique similes sui, nulla in occasione degeneres; illos potissimum intueor per æstiva quæ diù tenuerunt in Belgio castra, unos Batavis, Anglis, Hispanis & Germanis objectos, omnes in perpetuis excubiis, in diuturna nocturnaque vigilia; video aures omnium, arma, oculos ad quemlibet vicini hostis motum ac trepidationem arrectos, hic imminere frumentatoribus & abigere prædas, illic decisum ab hostilis exercitus corpore agmen insectari; modò rimari quâ viâ excuti castris possint hostes; modò instare clam descendentibus & postremam aciem carpere. Sed ista ludus quidam fuerunt ac velitatio umbratilis: hoc artis specimen & militaris prudentiæ, quod hostes eosdem, licèt toto triduo prægressos & via usos rectissima brevissimaque, ipsi magnis itineribus & propter anfractus silvarum ac fluminum obliquis atque impeditis antevertерunt tamen, & paratas Flandriæ ac limiti

nostro

noſtro inſidias feliciter diſturbarunt. Pergit alacer Gallus dies multos, ſomni, cibi, æſtus immemor; non eques duntaxat ſed ipſe pedes armorum onere gravis, proviſaſque viribus reficiendis per intervalla dapes, nequid afferat bello moræ, ſpernit, nullam quietis partem capere certus, donec hoſti fraudulento & ad facilem ut putabat victoriam convolanti, occurrat improviſus, ac prædam avida ſpe jam devoratam eripiat.

Hoc tuum DELPHINE SERENISSIME, palmarium facinus, hæc hujus anni, & martis æſtivi clauſula felix fuit; clariſſimæ ac maximæ victoriæ par, LUDOVICO judice. Hoc uno facto & veteratoris Ducis calliditatem eluſiſti, & ampliſſimas urbes totius regni clauſtra texiſti, & hoſtem Gallicis agris ubi opima ſibi jam hiberna deſtinaverat, excluſiſti. Obſtupuit Auriacus & noſtrorum antea incredibili fortitudine ad Steinkerkam, nobili ad Nervindam pertinacia, vigilantia in Belgio toties deceptus, hac demum celeritate ſupra quam dici poteſt attonitus, ut joco pudorem ſuum tegeret, in hanc vocem erupiſſe fertur; equidem ſat ſciebam Gallos lacertis valere, alatos eſſe neſciebam. Sed (ut redeat illuc oratio, unde ſuavitate argumenti allecta paululum non invitis, ut opinor vobis aberravit) quid illum noſtris

militibus ardorem afflavit, nisi dux duci, hostis hosti, exercitus exercitui in summo rerum discrimine oppositus? tantùm in bellis valet æmulatio! quid iis, qui nomen doctæ militiæ dederunt, an non easdem subjicit faces, nonne pares ad egregium laborem stimulos subdit? Sic eruditorum incitatur diligentia & numerus augescit: sic deinde illorum opes, libri, litteræ, ingenti & facili accessione cumulantur.

Florent opes populorum sub tutela pacis & otii, AUDITORES, nec florent modò, sed etiam aluntur & crescunt. Colit agros tranquilla pax, messem & annonam invehit ex arvis fertilibus in vicinas urbes, laxat horrea & in sinum plebis effundit, denique artes varias quibus ditescit civium industria, exercet ac perficit. Flagrante bello proterit agros miles barbarus & herbescentem adhuc anni spem profligat. Deserunt inaratos mœrentesque campos agricolæ, falcesque ac vomeres, gladiis mutare ac loricis coguntur. Abrumpitur dulce commercii fœdus, mare prædonibus infestum intercluditur: friget in oppidis urbanus quidam civilisque splendor, lautitiarum amans ac multarum artium, quibus copia publica efflorescit, parens: ipsa pecunia, quæ nescio quam rebus omnibus hilaritatem nitoremque domibus, communi vitæ facilitatem, lætitiam & honorem affert,

ægrè & parcè commeat, ac prodire in publicum timet.

Longè alia martis litterarii conditio est, AUDITORES, maximè tunc felici commercio doctrinæ instrumenta & adminicula, supellex omnis scientiarum & quasi commeatus, ultro citroque deferuntur. Hinc eruuntur defossæ additæque in veterum loculis in exaratis manu codicibus, in studiosorum scriniis gazæ, & contra quàm accidit in bellico regnorum tumultu cum infidum ac suspiciosum divitiarum nomen quisque pertimescit, ac secura paupertatis fama lætatur; in isto, inquam, eruditiorum bello nihil quisque tam ambit, quam ut ditissimus lautissimusque esse videatur.

Revocate in memoriam Annales superiorum temporum, lustrate animis terrarum orbem, quænam sæcula præ ceteris jejuna bonarum artium & infœcunda reperietis? illa nimirum in quibus iners & inimica Musis quies ingeniosos turpi fovebat in otio. Pretiosa sacræ vetustatis monumenta squalor & situs ut arma postibus appensa deterebant, aut edaces anni blattæque consumebant. Hinc amissa plurima litterarum ornamenta; hinc bonam partem clarissimorum scriptorum intercidisse deploramus. Verùm ubi conversa temporum ratio veternum hunc & socordiam excussit, ubi vindicari cœpta doctrina vetus & quasi

possessio eruditionis, continuò locupletari visa domesticis & peregrinis opibus litteratorum musæa, impleri bibliothecæ, omnia doctis ingenii fœtibus abundare. Sic brevi litterarum penuriam copia & ubertas est consecuta.

Recentioris Philosophiæ neque contemptor, ut nonnulli, neque admirator, ut multi, sum. Etsi vehementer eos probem qui tristem licèt ac impexam antiquitatem comptæ ac cerussatæ novitati anteponunt: tamen quis non intelligit quantùm ad scientiæ naturalis præsertim adyta penetranda contulerint crebræ novorum Philosophorum cum antiquitatis defensoribus: altercationes, quæ etiam nunc adeò calent? tot commentationes natæ, tot experimenta facta, tot opiniones non insulsæ quæ vetustate obsoleverant, à tenebris fuerunt & oblivione vindicatæ.

Quid? ad Mathematicam rem quantum accessionis factum est, ex quo Tychones, Copernici, Longomontani, Kepleri Galilæi, nova de cœlo etiam & astris bella moverunt? Est profectò, est quòd gratulemur antiquorum numismatum exploratoribus & interpretibus; qui cum de fumosis titulis & exesis longa die metallis explicandis, legendisque certant, quantam historiæ lucem, & rationi temporum attulerunt?

Laudemus etiam jurgia amica, quibus

conflixerunt inter se tamdiù linguæ vernaculæ præsides Academici, extitit denique tot contentionum fructus ingens, eò gratior quò diutiùs expectatus fuit. Ne bello quidem abstineant ii quibus silentium & solitudo videntur attributa, non parum ipsi quoque ad cognoscendam veterum disciplinam & studia profuerunt.

At vos Medici eum de vita & valetudine nostra digladiari cerno, Asianos cum Europæis, illos in Hyppocratis & Galeni contritos schola, cum Empyricis quos vocant, cum Chymicis, cum exteris quibusdam haud indoctis; non possum (pace vestra dixerim) non possum, inquam, & mihi & tot illustrissimis civibus non timere. Sed omittite metum, AUDITORES, salutares nobis istæ dimicationes erunt; parient utilissimam remediorum copiam, quibus contra morborum impetus repentinos erimus in posterum tutiores. Et verò quàm multa id ætatis, per istas medentium concertationes inventa sunt de fata sanguinis periodo, de occultis Chyli canalibus, de nova curatione febrium, de totius corporis structurâ quæ majorum nostrorum aciem fugerant?

Quid? ne omittam illud, quod in oculis adhuc omnium & ore est. Quanta doctrinæ varietate pro veteribus novisque scriptoribus decertatum nuper fuit? dum hinc pro antiquorum gloria; inde pro recentiorum

imperitis facere conabatur. Sensere periculum defensores pietatis : itur ad arma confestim, canunt signum primarii duces, tela ingeruntur ad omni parte libri, dissertationes, consulta & scita doctorum. Expenditur consuetudo vetus, theatri natales, incrementa, variæque velut ætates sedulò describuntur, revocantur quæ in hanc sententiam ante aliquot annos fuerant egregiè disputata, & in lucem iterum proferuntur. Sic abundantiam quam fœcunda pax afferre populis amat, bellum istud ingeniosum importare litteris consuevit; neque humanis tantùm litteris & profanis, verùm sacris etiam ac divinis.

Unde enim censetis tanquam rei Catholicæ lucem obortam fuisse, tantam cælestis doctrinæ ubertatem primis Ecclesiæ temporibus; unde illos tot sapientissimorum hominum ad eam illustrandam & amplificandam conatus & labores incitatos, additum animis pariter & calamis vigorem impetumque judicatis? Totum hoc istius eruditi belli fuit. Hic Marcionitas Tertullianus, Athanasius Arianos, Nestorianos Cyrillus, Hieronymus & Augusti nus Pelagianos cædunt, fugant, dissipant. Illic Justini, Clementes Arnobii, Lactantii, aliique innumeri profanæ Philosophiæ mysteriis non minùs quàm sacræ, ad plenum initiati, inanes Græcæ sapientiæ phaleras excutiunt; dumque cer-

ta & firma rationibus leviculis argumenta, criminationibus falsissimis verissimas defensiones, ingenia ingeniis, Dialecticæ Dialecticam meliorem & sapientiorem opponunt; non modò patrimonium veritatis & acceptam à Christo hereditatem defendunt, sed eamdem suis etiam trophæis ac spoliis hostilibus exornant.

Vetera loquimur, cùm præsentia & domestica præ oculis habeamus? Pacem Ecclesiæ superiori sæculo rupit hæresis, utque illam avitis opibus spoliaret, bellum religioni sceleratum indixit; sed postquam laborantis fidei periculum & architectorum erroris impudentissima temeritas Doctores Catholicos, Perronios in Gallia; Stapletonos, Reginaldos Polos, in Anglia; Eckios, Cochlæos in Germania, Baronios & Bellarminos in Italia, & quos non ubique terrarum? certatim ad communem hostem debellandum excivit, Deus immortalis, quàm brevi discussæ præstigiatorum technæ; irretita loquacitas, furor & vesania compressa! quanta vis librorum exiit, quanta lucubrationum, quibus error detectus & confossus, asserta veritas & Religio, magna Ecclesiasticæ tum disciplinæ tum doctrinæ pars uberiùs & fusiùs explicita! volvitur levi agmine fluvius ingens & amæna fertilis campi spatia placidis flexibus oberrat; opponis illi aggeres, intercludis transitum ob-

jectis molibus, tum enimverò assurgit agglomeratque fluctus, arietat in oppositos aggeres, illosque demum perrumpit, eò violentiùs quò diutiùs & arctiùs interclusus fuit. Sic eruditorum vis & facundia nunquam incitatior quàm cum illi vehementer adversariorum impetus obsistit.

Neque tamen ita effundi ardor ille debet, ut cæco feratur æstu iis finibus quos prudentia præscribit, includatur necesse est. Suæ sunt isti bello perinde ac ceteris leges, quæ nisi serventur, quid aliud quàm jurgiorum & inimicitiarum fons ac seminarium, non utilis ingeniorum exercitatio, non propugnatio veritatis erit? Occurramus huic malo, viri eruditi, quæ sint belli vestri jura, quæ leges, paucis, ne molestum sit, hac secunda parte orationis expendamus.

Ex iis legibus quæ ad sanciendam litterarii belli disciplinam valere plurimùm possunt, aliæ eò pertinent ut doceant quid in hoc bello suscipiendo spectari; aliæ, quid in gerendo servari debeat. Utrasque si vobis, ut hactenus, faventibus & attentis utor, paucis exponam.

Bellum omne, si modò inter homines non inter belluas barbarosve committatur, ducat oportet ratio, æquitas indîcat, ipsa demum necessitas inferat. Valeant illa quippe hominum tam impiè quàm imperitè disputantium effata, qui belli jus omne posi-

tum in armis esse volunt, quibus scelus, si felix & fortunatum est, virtus est. Absit à suscipiendi belli consilio, ut rectè Augustinus monet, nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, libido dominandi. Hoc ita Carolo-Magno persuasum fuisse legimus ut in gladii sui capulo incidi sigillum regiæ justitiæ voluerit: eo facto contestatus nullum se, nisi ad tutandam æquitatem, bellum unquam suscepturum.

Quàm dispar vobis, scriptores plerique, mens, quàm iniqua ratio multorùm, qui nihil minùs in scribendo quàm officium, justitiam & veritatem sequuntur? Hunc incendit ira, stimulat ultio, præcipitem injuriæ dolor ad stilum in hostem stringendum rapit: illum angit æmuli gloria, tantùm de sua detractum existimatione putat, quantùm ad alienam accesserit. Rectè; si nihil ab hac æmulatione sumeret aliud, quàm animos ac diligentiam ad scribendum: sed pudor malus, sed collecta ex longo invidia urit hominem suæ fortasse tenuitatis conscium, qui adversarii magnitudinem exiguitate sua metiatur. Quid agat, nisi ut, quem superare bonis artibus ac jure non potest, vincat maledicendo, atris versibus oblinat, editis in vulgus falso nomine libellis, epistolis invidiosè conscriptis, in quibus omnem jocandi licentiam scurriliter adhibet, salibus illiberalibus & insulsis deridendum proponat?

Alius, ab ingenio & eloquentia instructior, eoque audacior dominatum ambit, agmen agere vult, pretium scriptis, famam scriptoribus, sectæ nomen ponere; ipse nullius in verba jurare addictus, ceteros suo veluti sacramento adigit: alios terret minacibus chartis, & nervum palam restemque denunciat; aliis blanditur & palpat vafer, in omnes imperium quoddam ac tyrannidem exercet. Alius id sibi quasi muneris sumit ut inquirat in aliorum vitas, lacessat ac describat unumquemque. Urbem obit vicatim & quoslibet nigro sale defricat ac mordaci aceto perfundit. Quæsitorem diceres & cognitorem notandis publice moribus datum. O bone quin te ipsum respicis! non id ætas tua fert, mihi crede, non vita, non fama: homo litigiosus est: vitam sine lite vitalem esse non putat; illi simillimus ardelioni qui tota vita nihil vacui temporis, ut narrant, à litibus malis habuerat, adeo ut capularis etiam senex fora omnia quotidie concursaret. Quod cùm ad Franciscum Primum Regem Christianissimum perlatum esset, recepit se daturum operam ut hominem gravi tot litium onere liberaret, cúmque illius adversariis ac litigatoribus, bonis & æquis conditionibus transigeret. At infelix senex accurrit ad Regem, orat supplex, ut sibi una saltem aut altera lis in qua se exerceat, relinquatur. Risit Rex, & lites ad

unam omnes ubi se arbitratu suo defatigaret, reliquit. Nihil habent quod agant videlicet nostri Aristarchi, nihil ubi se exerceant, nisi bilem ac stomachum in aliquem effundant.

Quid ? num illos carere censemus culpa, qui levissimis de causis, pro lana ut aiunt caprina, pro apice nullius momenti, aut syllaba temerè trajecta, in mutuas quasi cædes ruunt; ac totam eruditorum gentem in contrarias partes scindunt ?

Sed otium isti per me licet, chartamque disperdant : quantò est illorum culpa gravior, qui malæ ut plurimùm causæ patroni, ut adversarios jure an injuria victos & oppressos habeant, descendunt in aciem non singuli & suo quisque nomine, sed turmatim. Conferunt clypeos & componunt arma, ut olim in facienda testudine Romani milites, conferunt in unum hic linguam, ille calamum, alius ingenium, alius nomen, nonnulli totius belli moderatores & occulti duces, pecuniam, auctoritatem, gratiam apud proceres, ad communem causam afferunt : soli sunt, si quidem ipsos audias, quamvis leviter litteras degustarint, docti; quamvis cespitent ac delirent in multis, prudentes : licet non nimis acuti, sagaces & ingeniosi : soli scribunt, soli loquuntur, sapiunt, soli cogitant : ceterum ita perditè agmini suo addicti, ita eodem omnes fœdere devincti, quidvis ut malint quam de

fide partium & sententia decedere. Non te ad gregem hunc applicas ? hostis veritatis es. Non faves ? non assentiris ? non applaudis ? ineptus es : dissentis autem & oppugnas ? sacrum ac detestabile caput es. Qui sunt ita comparati, ii profectò, non tueri veritatem, quæ istius belli capescendi justissima est causa, sed eam pessumdare, sed omnia perturbare moliuntur.

Conveniamus, quæso, aliquem ejusmodi scriptorem venalem & conductitium qui se totum factioni dedidit. Scribis vir erudite ? omninò. In quos verò stylum distringis, in tuos hostes aut alienos ? meos equidem habeo nullos. Cur igitur tam acriter pugnas, cur felle multo tristis tumet pagina ? sic jussus, sic rogatus sum. At bellum istud num suis momentis pensitasti, quàm justum esset, quàm necessarium ? amicis hæc relinquo judicanda. Multùm tribuis eorum æquitati ; ut video. At hæc ipsa quæ tibi suggessere tela, locos ex auctoribus depromptos, exempla, testimonia, satisne compertum habes, quàm sint incorrupta, quàm fideliter & sanctè descripta ? Quid si amicorum tuorum in his diligentia peccavit, aut probitas, nihilne demum putas ad te pertinere ? an illorum sceleris tua manus ministra, tua eruditio socia, tua fides adjutrix esse debet ? frustra hominem incuso. Venditam & obstrictam alienæ cupiditati

operam navare non desinet, perget acuere ſtili mucronem ſatalles nequiſſimus, ac illum in optimorũ civium vita moribuſquedefiget.

Mihi verò, inquiet aliquis, ſuſcipiendi belli cauſæ graves & legitimæ fuerunt. Bene habet, reſtat hoc certè ut illud clementer & bona fide geras, quo alteram partem legum litterarii belli ſpectare jam dixi. Concedatur hoc Martis ingenio & immanitati, ut interdum longius abripiatur feritas militaris, quam jus & æquum poſtulat: ſed quis non miretur immanitatem haud abſimilem ad homines liberaliter inſtitutos, ad hæc ſtudia humanitatis potuiſſe pertinere? Quod enim eſt convicii genus, quæ pars contumeliæ, quæ dicacitatis acerbitas, quam in doctiſſimorum virorum qui patrum memoria floruerunt, contrariis ſcriptis animadvertere non liceat? objicere inſcitiam adverſario, leve tunc erat; temeritatem & oſcitantiam, vulgare; ſtoliditatem, fanaticas intemperias, bruta deliria, κορυζαντιασμὸν λυκανθρωπίαν, joculare ac feſtivum fuit.

Nonne cum hæc auditis, venit vobis in mentem illa belli gerendi ratio à veteribus uſurpata Gallis, cùm toti ferro hirſuti prodirent in aciem? prælongum in manu haſtile, contum verius dixeris: ferrea in capite olla, potius quam galea, vix patente ad animam ducendam buccula, & lumine

quantùm ſatis eſſet ad hoſtem malignè contuendum: prætenta femoribus, tibiis, brachiis ferrea tegmina, equus ipſe ferro gravis & ſub equite ferrato ſudans, ibat. Ita tunc pugnabant mortales, durum genus, ita ſcribebant. Factum bene, AUDITORES, quod aſperitatem illam ſæculi ſuperioris in bello ſive armis ſive ſcriptis gerendo, ætas noſtra ſuo lepore ac humanitate deterſerit! Quanquam ne nunc quidem deſunt ſcriptores in quibus obtrectandi & maledicendi prurigo hæc illiberalis hæſerit; qui non modò fas, verum etiam pulcrum eſſe putent adverſarios probris omnibus, conviciiſque proſcindere. Quæ, malùm, iſta bellandi ratio eſt? Quaſi vero cauſa verbis & ſævitia ſcribendi, non veritate penderetur; aut ille demum viciſſe cenſendus eſſet, qui vociferando & maledicendo proterviùs inſaniret?

At hallucinatur graviter adverſarius? doce: at fœde mentitur? coargue: at veterem omnem morum diſciplinam it perditum? oſtende; nonne ſatis erit illi ſupplicii ſi modò ſenſum aliquem habet, quod hæc admiſiſſe convincatur? quod manifeſta quaſi ratione conſtrictus concluſuſque teneatur? Si veritati ſerviebas, voti es compos, patet illa, defenſa eſt, in tuto eſt: cur in perſonam, in mores, in nomen ipſum furis? non tibi cum homine bellum, ſed cum er-

rore, cum inscitia susceptum est; hæc insectare, hæc everte: cur milites illos ferreos, & barbaros imitaris, qui jacentem hostem proterunt, ac repetitis vulneribus in cadaver exangue desæviunt? Ludo propiora quàm pugnæ hæc eruditorum certamina esse debent, AUDITORES, si quis excandescat in ludo, si contumeliosis verbis collusores petat, censeatur inhumanus, uti opinor: in hoc ingeniorum humanissima contentione & palæstra capitalibus indulgere odiis, prorumpere in convicia turpiter, rodere quemlibet dente maledico, lacerare famam ejus, institutum, scripta, facta, non illiberale non indignum erit?

Sed est huic vitio diversum alterum licet gravitate par. Videas hominem aliquando ad modestiam cultu corporis habituque toto affabrè quasi factum; lepidum in differendo, minimè pugnacem in disputando, in scribendo perurbanum; cujus vultus comitatem spirat, probitatem sermo, stilus ipse mera videtur humanitate tinctus. Sed, heu latet fraus sub ista specie, tam leni, tam commoda: veteratoria mens & dolosa latet. Sumet pro concesso quod dubitantis aut objicientis in morem adversarius proposuerit: interpunctione consulto mutata sententiam ejusdem vitiabit aut evertet; auctoris locum quo se jugulari videt, dissimulabit, mutilabit, expunget. Itáne verò tantùm

perversitatis ac perfidiæ? Sua sint quædam arti bellicæ stratagemata non recuso: sint concessi nonnunquam doli fraudem in hoc veritatis & doctrinæ bello quis ferendam putet? nec inter ipsos tamen hostes usquequaque dolis uti licet. Veneno inficere fontes, eodem armare tela, & ferrum, ut ille vates ait, infamare; clandestinos percussores ac sicarios immittere: hæc, inquam, & alia id genus non modò lex belli, sed jus gentium, sed ipsa propè humanitas interdixit. An non his simillima sunt quæ dixi scriptoris improbi flagitia, qui dedita opera simulet pravè ac dissimulet? qui oratione ficta, falsa, ementita, calumniam probis, pestem innocentibus, imperitis offensionem struere non dubitet?

Postremum hoc sit; cetera enim quæ pro vestra prudentia facilè intelligitis, præcido ut consulam brevitati; postrema, inquam, lex ista sit, ne in infinitum eodem de argumento certamina protrahantur, ne bella è bellis serantur: sit aliquando litium & armorum finis. Si res habeat aliquid gravioris controversiæ quod secari facilè nequeat, major pars eruditorum & melior judex esto: si causa post diuturnam ac sedulam disceptationem versetur adhuc in obscuritate aliqua & dubitatione, usurpetur illa vox è Romano foro *Non liquet*: Tum aliò vertantur arma, & sub judice lis

relinquatur. Quod si de Religione fuerit oborta contentio, postquam erunt expensa in utramque partem omnia diligenter, judicium fidei Catholicæ moderatoribus & arbitris integrum permittatur, quorum à sententia vel latum unguem abire sit nefas. Si quis dixerit quidpiam secus aut senserit retexat orationem, mentem pristinam exuat, non effugia quærantur ac diverticula, non cavillationes verborum & argutiæ opponantur. Non os bilingue, non bifida mens, non manus ambigua sit: errorem hic ultro confiteri, salutare & decorum est.

Has vobis leges probatum iri confido, viri omnium ordinum, quos hic intueor sapientissimi, quibus æquitas, doctrina, Religio, cordi & curæ sunt. His armis incumbite in præclarum illud bellum, augere rem litterariam in dies magis & ornate. Non deerunt pulcherrima, quæ laborem vestrum consequantur, præmia: defensæ conscientia veritatis, debita eruditioni laus, publicæ rei utilitas & gloria. Ipse denique hujus belli non minùs quàm alterius cruenti præses & agonotheta LUDOVICUS est: qui sic armatam Palladem colit, ut eruditam & pacificam vel in medio bellorum fragore muneretur ac foveat. Et quoniam feliciùs numquam geruntur ista litterarum prælia quàm in beato pacis otio cum à tristi armorum tumultu respirant animi & sibi ac

Musis toti vacant; optate votis omnibus funesti Martis finem; concordiam inter dissidentes populos ac Principes postulate. Et audient (si quid bene auguror) vota hæc superi, quos ut ad inchoandum bellum duces habuimus, sic ad revocandam pacem præsentes adfuturos confidimus: id adjectæ hoc anno triumphis superioribus victoriæ, id hostium utique cedentium pavor, fuga, desperatio, id indefessa fortitudo nostrorum, tum etiam Regis invictissimi prudentia pietasque, ac demum ipsius quam tuemur causæ bonitas persuadent. Restituta pace vobis licebit, eruditi, bella vestra instaurare liberiùs, neque tum alia prior vobis aut optatior, credo, pugna fuerit, quàm publicæ tranquillitatis auctorem, vindicem Regum, defensorem, Religionis æque bellicis artibus ac pacificis magnum, certantibus animis studiisque celebrare.





GALLOS

ANNO M. DC. XCVI.

DUM AGERE NIHIL VIDENTUR, PLUS, QUAM ANNIS SUPERIORIBUS, EGISSE.

ORATIO.

HABITA PARISIIS VII. IDUS DECEMBRIS EJUSDEM ANNI.



TTIGIMUS felicis anni metam, EXCELLENTISSIME SEDIS APOSTOLICÆ NUNCIE, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, CETERIQUE AUDITORES ORNATISSIMI, qui Europæ laboranti quietem, diuturnis populorum ærumnis modum, concordiam dissidentibus regnis, pa-

cem denique ab omnibus expetitam, si non omnibus dedit promittit saltem & omine secundissimo concedendam brevi esse portendit. Abrumpi cœptum est fœdus illud exitiale, quod ad religionis & hujus regni perniciem conflatum erat: Princeps fortissimus fœderatis ereptus; Pedemontium, Galliæ jam vallum & propugnaculum; acceptus publicæ felicitatis obses, & pignus firmissimum, regalis Hymenæus; sancita denique pax illa, per quam & hostibus adimatur facultas belli diutius protrahendi, & pacis serius ocyus accipiendæ felix necessitas imponatur. Hæc tamen omnia (quæ pars præcipua laudis est) sine cæde ac sanguine, propè citra dimicationem aleamque sunt gloriosè confecta.

Itaque laudaturi hodiè non sumus, ut annis superioribus ex hoc ipso loco facere soliti, constratos & albentes hostium cadaveribus campos, concisa ferro agmina, transmissos natanti exercitu & superatos ingentium fluminum vortices, victam artem & naturam expugnandis arcibus antehac invictis. Aliquid afferimus istis ruinis ac stragibus, istis victricium armorum & fortitudinis Gallicæ monumentis illustrius: quid illud? cunctationem laboriosam, negotiosam cessationem, otium triumphale. Retardati hostium impetus, quiescendo compressa quasi ludendo ferocia; conatus,

consilia, molitiones, sedendo feriàndoque disturbatæ.

In quo quantùm sit quod egimus, dum agere nihil videmur, tu mihi testis idoneus & auctor, LUDOVICE MAGNE, qui palam affirmare non dubitasti, annum hunc unum inprimis Gallis & gloriosum & fortunatum illuxisse.

Nefas sit, AUDITORES, aliud argumentum dicendi sumere, quàm quod Rex maximus, hujus gloriæ ac felicitatis artifex, idemque prudentissimus æstimator, nobis ipse subministravit. Quàm certa constet regio huic oraculo fides ut intelligatis, duo demonstrare conabor; primùm. Nihil pro rerum præsenti statu gloriosius, quàm quod hoc anno Galli præstiterunt; deinde, Nihil ad futuri temporis spem felicius ac lætius, fieri potuisse. Præsens hujus anni gloria; oritura ex eodem in posterum lætitia & felicitas; geminum orationis caput erit: ex utroque intelligetis Gallos hoc anno, dum maximè videntur nihil agere, plus multò quàm annis superioribus egisse.

Novam mihi ad dicendum alacritatem affert conspectus tuus & benignitas singularis, EXCELLENTISSIME SEDIS APOSTOLICÆ NUNCIE, cui satis intelligo quàm jucundum accidere debeat argumentum istud, quod in Religionis & Galliæ commendatione totum est.

ovimus quo sis apud LUDOVICUM
. AGNUM loco, qui te præ aliis, qui-
is id muneris mandari poterat, deligi
ominatim optavit: qui tam pronas tibi
ommodavit aures, cùm adveniens ipsum
iltissima & suavissima oratione primùm es
locutus, læto circumstantis aulæ totius &
ventis applausu. Novimus, quo vicissim
oud te loco Rex, & Christianissimum hoc
gnum sit. Nec miror: avitum id, ac
ropè domesticum habes. Meminit Lute-
a quàm multos è tua nobilissima familia
Delfinos Serenissimæ Reipublicæ oratores
cceperit. Scimus quam impensè ac meri-
ò Gallia sibi ac rebus suis addictum vene-
etur complectaturque Cardinalem Eminen-
issimum, patruum tuum, Romanæ purpu-
æ clarissimum lumen, & ratum sæculo
iostro ingenii, litteraturæ politioris, fa-
undiæ præsentissimæ, prudentiæ sagacioris,
exemplum. Cujus tu vestigiis inhærens,
lignus patrui tanti nomine, dignus gradu,
oulcherrima & maxima præbuisti, æqui-
tatis, magnificentiæ, sapientiæ, pietatis,
documenta, cum Avenionensem Comita-
tum Prolegatus Pontificius nuperrimè gu-
bernasti. Præsertim verò tantam humani-
tatis & clementiæ laudem adeptus es, tam
diligentem ac suavem operam in alenda
ubique concordia posuisti, ut qui talem te
Superi Gallis optantibus donaverunt, ii-

dem pacis illius, quam Europa nunc molitur, & conspirantibus votis petit, omen in te felicissimum, adjutorem, & nuncium pariter misisse videantur.

MIRUM, ut arbitror, vobis & præter opinionem accidet, AUDITORES, quòd Gallorum laudem hodiè repetam ab ea re, quâ nihil videtur magis ab illorum indole ac moribus alienum. Quam enim, quæso, Gallorum imaginem effingimus animis? quales illos hactenus vicini, exteri, hostes, amici, orbis universus vidit? Gentem unam scilicet omnium maximè vividam, acrem, actuosam; cui vis & ardor in agendo, audacia in pugnando, celeritas in vincendo, innatæ perhibentur. Gallos cum dicimus, fulmina dicimus convulsis nubibus prorupta, nihil non perfringunt; torrentes hibernis auctos imbribus, nullam molem non evertunt; turbines arcano & ineluctabili motu concitatos, profligant omnia & posternunt. Tales olim sensit Oriens perdomitus; lustratus victoriis Occidens; maria, terræque disjunctissimæ, illorum nomine, rebus gestis, triumphis, plenæ. Quid vetera quærimus? Tales ætate nostra vidit Lotharingia, uno die capta; Burgundia, una hebdomada; Hollandia, uno mense; urbes quadraginta, totidem diebus expugnatæ. Hac in imagine Gallos

nemo

nemo non agnoſcat. An verò eoſdem agnoſcetis, cum ceſſatores, cunctatores, Fabios totidem fuiſſe dicam? Dicam tamen verè, AUDITORES, neque de illa priori laude celeritatis, efficaciæ, fortitudinis, detractum quidquam putabo: abſit enim ut hic degenerem quandam & ignavam ceſſationem laudare velim, quam inertia parturiat, alat ſocordia, metus, fuga, deſperatio comitentur; quæ deliberet, cum agendum; copias colligat, cum dimicandum; ſedeat, cum eſt procurrendum. Illam intelligimus, illam hodiè ceſſationem in Gallis, celebramus, quam gignit prudentia, conſilium fovet, uſus erudit; quæ, licèt ſemper ad audendum parata ſit, nihilominus agendi opportunitatem & quieſcendi captat; quæ novit in loco prorumpere vel ſiſtere: interdum etiam nihil agere, ut multùm agat: cujus beneficio ſtrenuus miles impetum animi regere ac moderari virtuti ſuæ; imperare ſibi, vincere ſe denum ipſe poſſit. Tales hoc anno Gallos exstitiſſe prædicamus.

Redite in memoriam, AUDITORES, quibus animis, qua ſpe, quibus conſiliis in in campum hoſtes hac æſtate deſcenderint. Nempè ita ſibi perſuaſerant, Gallicum nomen, ſi deleri poſſet aliquando, nunc deletum funditus, ſi Superis placet, & extinctum iri. Hoc domi jactabant, venditabant

foris ; nec tanquàm in conjectura & casu, sed in spe certa manibusque suis positum præsumebant. Superbè illi quidem ; at fortasse non omninò temerè. Concussam propè decennali bello Galliam petebant : habebant sub signis exercitus, si numerum quæris, maximos ; si robur & audaciam, acerrimos. Classem prætereà ornatissimam instruxerant ; vel potiùs classes duas amplissimas, quæ oras omnes & portus nostros obsiderent, ac metum exscensionis repentinæ cladisque circumferrent. Oblata præter morem anno superiori prosperitas nonnulla & successus addebat animos eò majores, quòd reconciliatam secum inusitato beneficio fortunam arbitrabantur. Post receptam, licèt incredibili sumptu, labore summo, urbem unam, omnia sibi prona & obvia fore judicabant. Jam victoriarum suarum ordinem ita descripserant, ut alii capto Dinantio, effunderent se in Campaniam ; alii, Dunquerka expugnata, invaderent Morinos ; inde in ipsa regni viscera penetrarent : alii, effractis Alpium claustris, Delphinatum ; alii trajecto Rheno Alsatiam, Lotharingiam, vicinasque regiones occuparent. Denique jam nostra inter se dividebant oppida, jam spolia provinciarum, jam ipsas provincias, ut facilem prædam, animis votisque devorabant : nec tam ad bellum, quam ad triumphum, non tam

ad cladem nobis inferendam, quàm ad efferendum Galliæ cadaver læti ovantesque convolabant.

Quæritis, AUDITORES, quodnam egregium hujus anni facinus, qui triumphus Gallorum extiterit? Conjurata in exitium nostrum tot populorum arma, vires, odia, cohibuimus: hunc torrentem aggere objecto frænavimus: hanc teterrimi belli nubem tot fulminibus gravidam discussimus: ab hostibus vel invitissimis extorsimus confessionem imbecillitatis suæ. Qua tandem ratione? Conferendo signa? obsidendo arces? perrumpendo medias acies, & numerum, ut sæpè aliàs, virtute superando? imò cessantes, quieti, pænè otiosi; corpora, copias, consilia, tanquam murum firmissimum, objiciendo: ut constaret, Galliam, & cum agit & cum quiescit, unam omnibus omnium hostium viribus parem esse. Atque hanc cessandi fortiter laudem, illi quæ strenuè agendò paratur gloriæ, nonnulli, nec injuria, ut opinor, anteponent.

Non est enim, non est, ut imperiti existimant, pars bellicæ virtutis ac fortitudinis prima & potior, hostem aggredi cominus, & profligare; ruere in obvios enses, & ferro viam per telis horrentes cuneos aperire. Quàm sæpè hoc præstat ac suadet ardor animi præceps, laboris impatientia,

temeritas, desperatio? Sed imminentem opperiri hostem, sed ingruentem excipere, sed mora sapienti, vivida cunctatione contundere, & comminuere; sed periculum oculo irretorto contemplari, non frangi ejus diuturnitate, non vigilantiam, non laborem obluctandi, contentionemque remittere, hoc demum perfectæ, hoc heroicæ virtutis est. Age, quàm meritò Gallis ea laus tribuenda sit judicate.

Primus belli turbo in Belgium, ut pridem, incubuit. Deus immortalis! qui numerus hostium! centum quadraginta millia in illo terrarum angulo. Sed numerum nihil miror; exercitum turba non facit. Angliæ flos, robur Belgii, Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ delecta pubes, ad belli scientiam conserendis sæpiùs nobiscum manibus erudita. Ducum alter tuendæ, quam in Hungaria consecutus olim erat, gloriæ studio; alter conservandi, quod occupavit regni cupiditate inflammatus; uterque in se recumbentem & inclinatam partium fortunam sustinens.

His ducibus, his militibus, quid opponit Gallia? Copias rebus quidem omnibus instructissimas, at tranquillas, at pugnare & vincere vetitas: at comparatas ita, ut arceant hostem duntaxat, terreant, defatigent. Simul fossas ducit, construit aggeres, quibus non magis propulsetur impetus

hostium quàm militum nostrorum ardor certandi avidus compescatur. Cerneres collocatas sparsis latè agminibus acies, castra continuata, perpetuum ab Dinantio Dunquerkam usque, longissimo terrarum tractu, vallum, hic operibus & munimentis, illic multò milite permunitum. Quam in rem non illepidè Gallus centurio percontanti Bavariæ Duci, ubi locorum exercitus noster esset; dextra, inquit, acies sita est ad Mosæ ripas, læva ad oram Flandriæ miritimam; ubique Gallos adesse sensit hostis, atque ad novum & inexpectatum belli genus obstupuit: versat se in omnem partem, ultro citroque discurrit, ac viam rimatur. Nunc mutare castra, nunc progredi, nunc obsidionem Dinantii minitari: modò rapere citatum agmen Carolegium versus; modò ad superandum vallum illud perpetuum & objectas undecumque fossas accingere se; modò colligere copias omnes in unum, & consistere, quasi aleam certaminis denique tentaturus. Jam lævus, jam dexter, jam per vestigia sua recurrens, ambiguum iter variis anfractibus implicare. Feram diceres, quam insidias molientem ac deprehensam venatores intentis undique venabulis circumsistunt. Furit illa nequidquam, & rabida ora huc illuc torquens, it, redit, assilit, si quà fortè reperiat aditum, & se plenis ovilibus immittat. Sic hostis movet

ſe tres totos menſes, nihil promovet. Galli, quocumque vergit, perlevi flexu occurrunt, retundunt inanes impetus, & eum viciſſim in ipſius tectis ac ſolo velut incluſum, & multa cinctum indagine, tenent, premunt, obſident. Procedit? ſequuntur: conſiſtit? manent: vertit ſe aliquò? antevertunt: pugnam depoſcit? non negant, ſed ita, ut deteriori conditione congredi, ſi velit, cogatur. Fruſtrà Brugenſem alveum tranſilire tentat Valdemontius; fruſtrà ſtantes ad Oſtendam & Neoportum copiæ irrumpere aliquò vi aut aſtu conantur; fruſtrà ſecum tacitus fremit Auriacus, & otio noſtro diſcruciatur. Sedet cum legionibus expeditis Scaldim inter & Legiam Villaregius, qui omnem Flandrici belli difficillimi ſanè & graviſſimi molem ita ſuſtinuit, ut multorum inſtar triumphorum vel hic unus annus fortiſſimo ac prudentiſſimo Duci fuerit; nec tantùm à Gallis, ſed ab ipſis etiam hoſtibus laudari meruerit. Spatiatur Sabim inter & Scaldim Bufflerſius: excubat Montaltius ad Furnas, laureatus ſenex, & omnibus emeritæ militiæ præmiis digniſſimus: aſſidet Artanianus apud Tornacum; apud Condate Gacæus; ad Thielinum, Seneriſſimæ ſtirpis Lotharingicæ in Gallia caput Dux Ellebovius; ad Caroloregium Ximenius; Harcurius & Guiſchardus ad Dinantium; ad Montes Hannoniæ

Tallardus : ubique præſto eſt Gallus alacer, vigil, experrectus ; ubique hoſtem macerat, ſiſtit, fatigat ; moram itineri, nodum conſiliis, obicem conatibus, interponit.

Quid ? in Germania, in Pedemontio, in Gothalania, numquidnam hoſtes ampliùs promoverunt ? Quid illos in patente Rheni ripa, ne tranſirent amnem, ne nos adorirentur, tandiu continuit ? An Rhenus undis minacibus intumeſcens ? at ille alveo propter æſtum anguſto ac penè ſicco fluebat : an copiarum noſtrarum numerus ? at eas multis millibus ſuperabant : an per ducem ipſorum ſtetit ? ille verò & innata, quam à Gallis, inter quos natus eſt, hauſit, fortitudine, & collectis apud Ottomanos olim palmis dies noctеſque ſtimulatus, in omnem expromendæ virtutis & induſtriæ occaſionem imminebat. Quoties humile tentare vadum inſtitit ? quoties ſuos verbis & exemplo eſt adhortatus ? Interim Cho...lius pacatè in adverſa ripa obambulans ipſius ſollicitudine ac trepidatione fruebatur ſecurus. Quò demum res evaſit ? Per varias itinerum ambages, per horridos ac devios ſaltus, longo circuitu pertracti, tandem qua Rhenum tranſmitterent invenerunt. Expectatis aliquod facinus dignum tanto itinere, tanto exercitu, tanto duce. Tædio, morbis, fame ; deſperatione victi, combuſtis caſtris, remenſo per ſilentium & op-

portunam diei caliginem Rheno, discesserunt. Quò vos autem, quò proripitis, egregii milites? quò, præclare imperator, fugis? ubi pristina illa virtus? ubi data fœderatis & Europæ toti fides? Nimirum hîc tibi rem cum tumultuaria Turcarum manu non esse cognovisti.

Tamen ignoscimus; sapienter & considerate, Germani, fecistis. Docuerant vos Hispani, accepta paucis ante mensibus, ad Ostalricum in Gothalania, clade, quàm periculosum foret etiam quiescentem Gallum lacessere. Leonem cogitare debuerant, qualis in antiquo pingitur emblemate. Circumstat dormientem inhians ac timida ferarum turba, nec ferre propius pedem ausa: rem signant voculæ tres: *Vel otia terrent.* Meliùs exercitui, meliùs famæ suæ consuluissent, si prudenti fuga Vindocinensis Ducis fortitudinem & vigilantiam antevertere, quàm temeraria pugna experiri, maluissent.

In Taurinis verò quid priùs mirer AUDITORES: An Tessæi comitatem, prudentiam, dexteritatem, qui pacificas istas & aulicas artes, quas cum bellicis mirificè junctas habet, adeo peritè ac feliciter adhibuit? an Catinati fortitudinem, viri omnibus imperatoriis laudibus ornatissimi, & ad hujus imperii gloriam procreati? an ejusdem moderationem in pulcherrima

rei bene gerendæ occasione? Post superatas Alpium fauces, florentem & numerosum exercitum in apertam planitiem deduxerat: proclive pandebatur iter, quocumque pergeret, quicquid aggredi libuisset. Continuit ille se tamen ad primam, quæ oblata est ineundæ pacis & concordiæ spem cùm hoste amicissimo, totque nominibus Galliæ universæ carissimo, cujus utilitati & gloriæ servire satius duxit quàm suæ: maluit mitioribus consiliis & armis eum ad veterem tutamque amicitiam redire cupientem adjuvare, quàm aliqua belli offensione longiùs abalienare.

Videris quantùm terrestri Marte, illo tranquillo ac sedato, actum à Gallis fuerit: quemadmodum res ab iisdem mari gesta sit, accipite. Ecce autem cerno tectum classibus inimicis æquor; navim Gallicam propè nullam cerno: quietos portus nostros, compositas in iis rates & exarmatas intueor. Quid ita? quid id consilii est? Evagentur in patenti Oceano Angli Batavique, per nos licet: immensam auri argentique vim in supellectilem nauticam, & laboriosum apparatum impendant, gratulamur: luctentur cum tempestatibus, iratis fluctibus quatiantur; non vetamus: exscendant, si possunt, si audent, in nostra littora, ibi eos præstolamur. Non facient: nondum sunt obliti quanto suo damno id

aliàs tentaverint : aut, si quid molientur, consistent eminus; ac missili globorum igneorum procella, tonantibusque fragore multo flammis evertent, quid? casas aliquot ac tuguria. En quò tot impensæ, tot classes, tot minæ reciderunt!

At Galli contrà in illo suo actuoso & prudenti otio quàm multa ipsis, quàm gravia, quàm vera damna, terra marique, intulerunt? Quæ cum cogito, parùm abest quin retexam orationem meam: falsus sum, AUDITORES, erravi, cum cessatum hoc anno, cum propè nihil à Gallis actum esse dixi.

Quid enim? Nihilne tandem egerunt nostri Maclovienses, Dunquerkani, Deppenses, Aquitani, Armorici, cum tot naves Norvegicis, Danicis, Hollandicis, Anglicis, Indicisque mercibus & gazis refertas occuparunt, compilarunt, demerserũt? Nihil egit Nemondus, cum classem illam, quæ Gades alite mala ferebatur, ditissimo superbam onere, intercepit? Nihil Bartius, cum classem aliam Septentrionis opibus onustam adortus, quinquaginta rates abstulit, quinque & triginta concremavit, ceteras majores, quæ præsidio reliquis erant, expugnavit? cum in hostilia, quæ Caletanum secabant fretum, agmina, ex improviso irruens, ea Dunquerkam veluti per triumphum duxit? Unus ille quas ipsis pla-

gas non inflixit, quibus eos dolis non exercuit? Constiterat aliquando in Dunquerkano portu; audiunt, advolant, & ingenti navium catena vicinum littus, ac portum undique præcingunt, ne quà ipsis elabi possit. Jubet Bartius accendi noctu plurimas in cymbis faces, & in lævam ire partem; quas dùm incauti sequuntur hostes, ipse in dextram flectens evadit; nec eum prius abiisse cognoverunt, quàm navigia quædam sua postridie ab illo fuisse capta resciverunt.

Nihilne tandem egimus, cum immissis in Americanos usque sinus, & orbem ultimum classibus, hostium colonias, quibus vitam & spiritum ducunt, vastavimus? cum eorum agros impune per tot menses depasti sumus! cum ipsos in suo subsistere solo, & collectas multo sudore ac sumptu fruges absumere coëgimus? cum eosdem inedia, & ærumnis, dum inerti & inutili frigent otio, attrivimus; cum tot illibatas & integras copias servavimus, quarum fortitudine Gallia, ubi necesse foret, ad veterem gloriam retinendam & augendam uteretur? Omitto pugnas minoris momenti bene multas, minimè tamen, si jactura, si dedecus hostium spectetur, contemnendas. Hic Aldenardam irrumpens equestris turmæ Gallicæ ductor cum ducentis tantum manipularibus, horrea ingentia repentinis flammis populatur. Illîc Huisium à totidem Gallis

invaditur, malè multantur præſidiarii, cives direptionem pecunia redimere jubentur. Illîc ad caſtellum vetuſtate dirutum hæret ſex totos dies exercitus ille Germanorum formidabilis, & murales marchinas omnes ac tormenta bellica exhaurit contra centum qui erant intus, Gallos, quique, nullo è ſuis deſiderato, cum libuit egreſſi, vacua illis rudera reliquerunt. Documento eſtis adhuc fumantia Valentiæ mœnia & deformes operum everſorum ruinæ, quid ſolita, quid exaſperata Gallorum virtus poſſit. Num firmiſſima quibus muniebatur propugnacula; num ignea, quæ grandinis ritu depluebant, è muris fulmina; num eruptiones præſidiariorum, quorum rabiem ultrix ſcelerum conſcientia, & debitæ pœnæ metus acuebat, noſtrorum vim ac tela retardare valuerunt?

Sed hæc omnia, licèt ſplendida & illuſtria, licet aliis ad ingentem unius anni gloriam ſufficere viderentur, Galli tamen leviora ducunt, majoribus aſſueti, & ad majora etiam gerenda comparati, niſi hoſtium vires infringere quieſcendo, niſi potiorem pacis publicæ ac felicitatis, quam gloriæ bellicæ rationem habere ſtatuiſſent. Hoc illis triumphi genus placuit, hoc palmarium hujus anni facinus, quòd eò demum adducti ſint hoſtes, ut intelligant nihil ſe ne in ceſſantes quidem & otioſos

Gallos posse ; nullam sibi labefactandæ illorum dignitatis & potentiæ facultatem in bello & socialibus armis esse : unam denique sibi restare pacem , ad quam si rebus suis consultum volunt , confugiant. Quo quid lætius ad futuri spem temporis dici potest ? Arrigite animos ad audiendum , & quam certis faustisque ominibus pacem auguremur , attendite.

FALLUNTUR , mea quidem sententia , quicumque ita de bello sentiunt , nullum ut ejus fructum ampliorem arbitrentur, quàm expugnatas urbes , propagatos fines imperii , collectos stragibus , incendiis , hominum internecione , titulos inanes , & ambitiosi nominis , quod justa posteritas execrabitur , vanitatem. His capitur vulgus , his belli successum ac decus metitur. At si rem totam rectè volumus æstimare , AUDITORES , unum profectò belli præmium verissimum amplissimumque censebimus , fortunatam pacem. Quid enim inquieto armorum tumultu quæritur , nisi quies ? Quò mihi trophæi , victorias , hostium exitia & urbium , si belli ferale incendium istis non extinguitur , sed augetur ? Serviant arma tutandis legibus , protegendis sociis ; æquitati ac Religioni ab scelere atque improborum audacia vindicandis ; at barbarorum sit , vel ferarum

potiùs, depugnare ad ſatietatem, & avidam cruoris ſitim non æquitate ulla vel jure, ſed ulciſcendi, ſed rapiendi ac perdendi libidine definire.

Gratia vobis, Superi, quòd Regem Gallia veſtro beneficio nacta ſit, qui licèt felix, potens, invictus, pacem tamen mediis in triumphis amet; qui properantem interpellare Victoriam, de jure ſuo interdum concedere, ponere arma, etiam cum vincere poteſt, non recuſet, bellumque vel glorioſiſſimum honeſta & ſalutari pace commutare. Quoties hujus animi ſui & raræ in victoribus moderationis, monumenta jam dedit? Quoties conſilia, ſpes, triumphos, paci condonare pulchrum duxit? Sed numquam tamen hoc idem illuſtriùs intellectum fuit, quia nunquam atrociùs quàm in hoc bello ſævitum, nunquam alias tam tetra & inexpiabili fuerat immanitate dimicatum. Itaque repreſſit ipſe ſeſe quodammodò & inhibuit, ut hoſtes belli feralis aliquando pertæſi ad meliora pacis ſtudia converterent animos, & ſe tanta æquitate ac moderatione vinci paterentur. Nec ea ſpes Regem fruſtrabitur. Jam enim eſt planè nihil, cur hoſtes pacem reſpuere, perſequi Martem funeſtum & inutilem poſſint, aut, ſi ſapiunt, velint. Cur iſtud hoc anno ſperare nunc demum liceat, mecum, quæſo, paulisper expendite.

Quid censetis fuisse causæ cur tandiu bellum hoc fuerit prorogatum? quid istas aluit faces? quid, ne citiùs extinguerentur, obstitit?

Duo maximè hostium animos ad bellum pertinaciter urgendum hactenus accenderunt: imminutæ, ut quidem rebantur, & infractæ vires Galliæ, quam exhaustam militibus, belli nervis omnibus destitutam esse prædicabant: deinde formidolosum illud fœdus, tot nationum conspiratione conflatum, tot principum societate devinctum, tot populorum opibus, odio, invidia, metu, coagmentatum; quod numquam, nisi obtrita Gallia, dissolvendum videbatur. Dedocuit Europam hic annus, falli hostes opinione sua, & iis, quibus nos premi falsò & invidiosè clamitabant, incommodis revera laborare; nihil ipsis in vacillanti & caduco fœdere spei superesse, demonstravit.

Nondum exhaustam esse Galliam satis loquuntur tot exercitus, tot millia lectissimorum militum, ad Scaldim, ad Mosam, ad Rhenum, ad Padum, ad Sambrócam; in Belgio, in Germania, in Alpibus, in Gothalania. Quæ verò illæ copiæ! quàm nitentes! quàm certis & ratis stipendiis, quàm omni commeatuum genere abundantes! Nihil dico de numerosis urbium præsidiis; nihil de oris maritimis ac littoribus,

quibus tutandis adeò copiosæ cohortes excubant, ut justi exercitus meritò dici possint. Ecquando vel plures, vel ornatiores Gallia, aut hoc aut superioribus bellis, turmas vidit? Ac de numero quidem militum fortè nobis assentientur hostes; de robore si quærunt, interrogent sanè Florusium, Leuzam, Steinkerkam, Nervindam, Stafardam, Marsaliam, eosdem nunc esse reperient, à quibus illic se tam strenuè acceptos fuisse meminerunt.

Atenim cur tantum robur tot fortissimorum militum hoc anno veluti compressum & victum obtorpuit? Hic enimvero moderationem Regis, magnitudinem animi, & sapientiam, ut dixi, demirari licet. Cernebat dilaceratam bello tristissimo Europam; Religionem cæco impiorum furore vexatam, & in summum discrimen adductam: videbat irritatos potiùs, quàm domitos pristinis victoriis hostes, & à pacis consiliis longiùs abductos. Ita quippe naturâ comparatum est, ut non facilè cedant exulcerati animi. Efferantur suis vulneribus viri fortes, & ad eluendam ignominiam incitantur. Quò plus fusum est sanguinis, eò sitis dira magis crescit: feruntur è bellis bella, & mutuis cladibus furor ille Martius accenditur. Quid igitur faciendum fuit? cogendi fuerunt hostes ut pacem optarent quamlibet inviti; ea belli ratio instituenda,

ut fine clade ac tumultu vincerentur ; incutiendus periculi timor, ut amor concordiæ eliceretur ; parcendum, ut fervarentur. Id agendum denique ut irritos conatus omnes fuos, fpes vanas effe intelligerent.

Quod enim operæ pretium fecerunt hoftium copiæ illæ ingentes, quæ cædem fpirabant ac fanguinem ? quodnam roboris & induftriæ fpecimen ediderunt ? quam urbium noftrarum expugnarunt ? quam provinciam depopulatæ funt ? quem in ipfos regni limites aditum, quam invenire tot menfibus rimam potuerunt ?

Non tam profectò clementer & fedatè cum hoftibus rem tranfegiffet Gallia, fi bellum exercere verum ac liberum voluiffet, iftis fuis fortiffimis inftructa militibus ; tum etiam iftis ducibus & imperatoribus, quibus æquè ac militibus abundat. Quis enim eorum non eft maximo exercitui regendo par ? quis in omni bellicæ laudis parte non eximius ? fcientia in ponendis opportunè metandifque caftris : celeritate in hoftibus antevertendis, vigilantia, experientia, auctoritate, prudentia, felicitate. Quid dicam de regii fanguinis Principibus, qui publicam rem tutari capite, fuo periculoque non ceffant ? Macti ac virtute, Principes Sereniffimi : quod Galliæ præftatis, in vos refunditur ; tantò eftis majores, quantò hæc illuftrior.

Aspirat hos omnibus animos Ludovicus; dum instar magnæ mentis, per omnes artus corporis vasti spargitur, & in remotissimas partes consilia, curas, arma dividit; arbitrum illum rerum & moderatorem, cujus locum obtinent Reges, imitatus Deum, qui collectus in seipso, & summa tranquillitate fruens, movet omnia immotus, & efficaces, operumque maximorum administras manus in omnem partem intendit, ubique præsens, ubique totus. Hoc Rege, his Principibus, his ducibus, ac militibus nullam vim Gallia, nullum numerum ferocissimorum hostium, nullas opes, nulla fœdera pertimescet.

Quanquam, quid hostium opes, quid fœdus loquor? quod accisis sociorum fortunis, infirmum; quod, divulsis jam partibus, ruinosum, non potest diu consistere.

Fuit, fuit illud olim tempus, Angli, Hollandique, nec sine dolore meministis, cum domesticæ pacis & otii diuturnitate saginati, opimis commercii fructibus, quos in sinum vestrum Indiæ vectigales & uterque orbis congerebant, locupletati, rem tum privatam, tum publicam, lautam amplamque habebatis; nunc fontes illi magno vestro dolore ac luctu exaruerunt. Tot classes, tam opulentæ, Smyrnæa, Gaditana, Norvegica, in vestros illatæ portus non sunt; tot prædæ, quas quotidie abactas doletis; tot navigia capta; tot merces abductæ,

vestras illas decantatas opes, vestrum illum adipem haud parum attenuarunt. Est profectò quod vestram vicem doleatis, qui tam certas, tam bene fundatas divitias in triste bellum ac vobis nihil profuturum, tam liberaliter, vel temerè potiùs, nunquam heu! redituras, effudistis.

Neque verò dissimulare ampliùs calamitatem tantam adversarii possunt. Non jam levi popello dare verba, & vacuas aures splendidis implere commentis licet. Si enim, ut antea jactare consuevetant, adhuc ipsi tam copiosè divites, tam securè beati, tam ad novas damnorum sarciendorum rationes procudendas acuti sagacesque sunt, cur tanta laborant annonæ caritate? cur tam parcè ac malignè stipendia copiis persolvunt? cur tam crebræ defectiones militum, qui ad nos catervatim transvolant, ut inopiam, qua premuntur in suis castris, ubertate nostra levare possint? cur moneta fœdum in morem erasa, adulterata, decurtata?

Quid si rumores isti volunt, quibus aures quotidie nostræ personant, concidisse apud illos mercatorum fidem, frigere argentariorum mensas, jacere vectigalia, institores decoquere, senescere in dies fœderis famam & auctoritatem: illius, inquam, fœderis, quod à tot juratum populis, tam multis obstrictum vinculis, nunc tandem,

debilitatis pecuniæ nervis, divulso è Principibus sociis uno, reliquis, ut benè ominari fas est, brevi dilapsuris, concidat oportet ac penitus dissolvatur. Idem quippe usuvenit in istis fœderibus, quod in fornice: cui si vel unum lapidem exemeris, alii sponte sua dissociantur & corruunt. Neque hoc ipsi famosæ coïtionis architecti non viderunt. Quanto enim opere laboratum ab iis est, ut ille unus ab ceteris ne divelleretur? Omninò intelligebant periisse tum compagem totam, cùm aliqua ex parte vitium facere cœpisset.

Equidem, cum ejusmodi fœderum conditionem & exitum reputo, videre mihi videor statuam illam, quæ secundùm quietem oblata Babyloniorum Regi quondam fuit; quam ex auro, argento, ære, ferro, testa, conflatam & compactam fuisse sacri codices narrant. Quàm diversa unius corporis membra, quàm monstri similia: Quis ea constare diu, ac inter se cohærere posse putet? Non bene aurum cum ferro, ferrum cum argilla committitur & coalescit. Et verò tam vasta moles quàm levi momento impulsa! ut tenui calculo dejecta est! En imago fœderum nativa: nihil in speciem splendidius, nihil firmius; re ipsa, nihil instabilius, incertius nihil. Quid ita porro? Nimirum sua quemque fœderatorum utilitas movet: quod sibi commo-

dum est quærunt in fœdere singuli, tametsi aliud alii prætexant. Verùm quid fit? Si hæc utilitas, ut sæpe accidit, commutatur; si majoris utilitatis aliqua spes aliunde affulget; tunc, velut impacto lapide, concutiuntur statuæ partes; unus aliquis sociorum suis privatis rationibus contra ceterorum utilitatem consulens, desciscit à fœdere, mox alius quispiam: sic fatiscit opus, sic moles tota concidit.

Quid secuti sunt Batavi, cum se in hanc societatem conjecere? Majorem commercii opportunitatem, accessionem non exiguam ad opes pristinas. Periit illa spes, nihil lucri faciunt, imò damni plurimum; non stabunt diu, brevi ipsos fœderis pœnitebit. Germaniæ Principes quid impulit? Fortunæ spes melioris, Cæsaris gratia, vicinæ potentiæ metus? Verùm pereunt suæ ipsis copiæ; uruntur pagi, arva diripiuntur: an manebunt in fide? Nec dubito quin ceteri propediem intelligant, quàm inanibus ducti sint promissis, & ad meliora consilia se referant. Valebit apud homines nondum sui oblitos, sapientissimi Ducis exemplum: valebit nova belli facies, cum Galliam videbunt non solum gravi onere levatam, & ad arma deinceps in omnem partem inferenda promptiorem: sed auctam quoque societate, viribus, fide, vicini Principis, qui & avulsus à fœderatis, & nobiscum est

arctiori quàm antea, vinculo conjunctus.

Ea spes videlicet omnium animos demulsit, cum de felicissimo Regiæ virginis hymenæo auditum est. Meministis quo illa plausu, qua omnium ordinum gratulatione fuerit excepta, cum nuper expectanti Galliæ se ostendit. Quibus totius aulæ gaudiis, quàm dulci pompa in Regis conspectum & sponsi deducta sit. Quis hujus novi sideris exortu depulsam præteriti temporis procellam, & redditam rebus serenitatem non putavit? quis pariter invehi cum illa pacem & concordiam non credidit? Alii Sabaudicæ domus antiquissimæ & illustrissimæ nobilitatem prædicare, quam una Regum nostrorum stirps, tot inter amplissimas Europæ Regum ac Dynastarum domos, vetustate dicitur superare: alii ejus cum eadem regia Francorum stirpe cognationem jam antea vicies, credo, repetitam, commemorare: nonnulli extollere proprias augustæ puellæ dotes, quæ tot in ea jam eminent, partim expressæ & suis omnibus numeris, ut est ætatis captus, absolutæ, partim inchoatæ, nec rudibus tamen informatæ lineamentis, ut primum inter Principes Europæ fœminas locum aliquando facile videatur habitura: majorem annis maturitatem, adeò ut, cum res & locus postulat, animos, vultum, gravitatem provectioris ætatis induat: sparsam in sermone, in gestu, in omni ratione

facilitatem quandam & elegantiam, plenam humanissimæ & modestissimæ libertatis, perinde quasi ad aulæ Gallicæ disciplinam ac mores fuerit longo usu à teneris instituta: mentem ad judicandum rectam; ad omnia circumspicienda & pensitenda jam tum attentam; ad singula suis temporibus accuratam: nihil studentem ardentiùs, quam, ut, quibus debet, placeat; quod arte quadam nativa mirè facit, sine arte tamen & fuco: denique eximiam pietatem, in qua, pro ætatis modo, innocentia singularis, supra ætatem, Christiani robur animi, & adultæ jam virtutis ardor atque alacritas elucet. Multi Philippo Regis unico Fratri, Regiæ virginis avo, gratulabantur, ad quem hujus affinitatis gloria fructusque suavissimus præ ceteris debet meritò pertinere. Omnes demùm præcipiebant animis optatissimum illum diem, quem brevi affuturum confidimus, quo dissentientes populos beata pax in perpetuum devinciet.

Quibus tum lætitiis Gallia tecum victrix, LUDOVICE MAGNE, quibus pietas & religio triumphabunt! Quid arma hoc in bello tua, quid consilia spectaverint, palam ipse testatus es, in ea, quam super hac pace scripsisti, epistola. Lætari te profiteris, non tam quòd vincas, quàm quòd servire paci victoriæ tuæ possint. Europæ fe-

licitatem unam & quietem tibi in votis fuisse; ad quam cùm Sabaudia Galliæ conciliata ingens afferre momentum posset, omnem navasse operam, ut necessitudo dudum inter te ac Ducem Serenissimum conjunctione sanguinis & amicitiæ adstricta; nec nisi per fraudem hostium artesque discissa; iterum arctiùs coïret. Votorum es compos: quid optares, quid esset optandum sibi, Dux prudentissimus intellexit; pax consecuta est. Quid restat, nisi ut fœderati Principes tam illustri exemplo, atque adeò suorum calamitatibus permoti, pacem Religioni gloriosam, sibi utilem, omnibus expetendam amplectantur: aut, si facere abnuunt, discant suis cladibus, quid virtus Gallica, justis odiis in publicæ felicitatis hostes incitata possit. Hoc effectum tibi, REX, dabit præpotentis Dei numen, auctor pacis, cui studes; Regum, quos tueris, vindex. Nostrum est, AUDITORES, tum eidem supremo Numini agere gratias immortales pro accepto beneficio, tum etiam ab ipso precibus omnibus & obsequiis exposcere, ut servare quæ dedit; quæ spondet, perficere ad extremum & cumulare, pro singulari sua in hoc regnum munificentia & benignitate, velit.

DIXI.

AD



AD ORATIONEM DICTAM

ANNO M. DC. XCVIII.

EPISTOLA DEDICATORIA

EMINENTISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

CÆSARI

CARDINALI

ESTRÆO

Regiorum Ordinum Commendatori.



UAM auribus æquissimis orationem audivisti, eandem non minùs benignè, uti confidimus, accipies, CARDINALIS EMINENTISSIME. *Argumentum quidem ipsum probâvisti: nec mirum; quis enim Galliæ, quis*

Religionis, quàm tu, amantior? Cùm reliqua, pro tua humanitate, non improbares, unum audio minus tibi placuisse, tuas nimirum, quas leviter tamen attigeram, laudes. Sed, quid agerem? CARDINALIS EMINENTISSME. *An te indictum præterire potui, cùm id oratio ipsa postularet, ac nomen tuum offerret oratori vel invito? Jusseras, fateor, nullum ut de te verbum facerem: Quis me non reprehendisset, quod ornamentum ingens ademissem orationi meæ, ac Societati nostræ locum aliquem animi erga te sui & obsequii profitendi, quam tot tantisque nominibus devinctam habes? Ceterum, quòd mihi succenseas nihil est. Ex innumeris, quæ occurrebant, tuis ac nobilissimæ tuæ familiæ laudibus & ornamentis, paucissima delibavi. An non singulare sibi ac proprium orationis meæ poscebat elogium Rollo ille Estræus, ante annos quadringentos Franciæ Marescallus, qui S. Ludovicum in expeditione Tunetana comitatus, sanguinem etiam impendit tuendæ Religioni? An non Joannes Estræus,*

qui Anglos à Caletanis mœnibus tam fortiter depulit? Nihil dixi de Annibale Estræo, Duce ac Pari Franciæ, itidemque Marescallo; qui Vallem Telinam Hispanis occupatam liberavit; qui Coronæ Franciæ majestatem tanta cum dignitate & magnitudine animi toties asseruit: nihil de clarissimis fratribus ac nepotibus tuis, de quibus tam multa tam jure poteram predicare. Omisi navatam à te regno toti operam in conciliandis Serenissimi Delphini nuptiis, unde triplex Galliæ spes, triplex Ludovico Magno succrevit nepos. Latere sum passus, quam latere pietas tua cupit, conferri solitam à te liberari manu in egentes opem ac munificentiam: silui benevolentiam singularem, qua litteras & litteratos omnes complecteris, ipse litteris, tum sacris, tum profanis, excultissimus: prætermisi obitas tanto cum splendore ac publicæ rei emolumento legationes amplissimas in Lusitania, in Germania, in Italia. Quis me non libenter audivisset, cùm te in illo Romanæ aulæ theatro, in sanctissi-

mo Patrum consessu, ostendissem modò Gallicana defendentem jura, modò Religionis causam acerrimè propugnantem, ubique forti ac suavi facundia omnium aures animosque detinentem. Vides, CARDINALIS EMINENTISSIME, *quàm multa reticuerim, quantam tuæ modestiæ rationem & curam habuerim. Non facilè alius quispiam tibi morem gessisset; meque, quod fuerim obsequentior, pauci laudabunt; ac molestè, credo, Societas nostra feret, quæ te ut parentem optimum colit ac veneratur. Itaque mei me propemodum obsequii, & istius in te ornando tunc parsimoniæ pœnitet. Sed erratum resarcire decrevi, neque unam duntaxat orationis particulam, sed integram nomini tuo & gloriæ consecrare.*



GENTEM GALLICAM UNAM OMNIUM ESSE, CUI RELIGIO DEBEAT PLURIMUM, QUÆ PLURIMUM RELIGIONI DEBEAT.

ORATIO.

Habita Parisiis VII. Kal. Decembris Anno M. DC. XCVIII.



UM res à Gallis jam inde ab hoc imperio condito præclarè gestas, cum regni florentissimi amplitudinem, potentiam, triumphos, opes, famam orbe toto longè latéque diffusam, intueor, Cardinalis Eminentissime, Illustrissimi Ecclesiæ Principes,

PRÆSIDES AMPLISSIMI, CLARISSIMI SENATORES, CETERIQUE OMNIUM ORDINUM AUDITORES ORNATISSIMI: in eam cogitationem venire soleo, incredibilem hanc & propagatam à tot sæculis ad hæc usque tempora gloriam ac felicitatem non tàm humanis viribus & consiliis, quàm cœlesti quodam beneficio fuisse comparatam. Est enim aliqua profectò, est moderatrix humanarum rerum, & arbitra, non fortunæ cœca vis, aut fati lex ineluctabilis & immota, ut profana censuit vetustas, sed veri summique Numinis providentia, cui mortalia sint curæ, quæ paces, bella, regnorum varias vices, ortus occasusque imperiorum præpotenti nutu moderetur ac temperet.

Rursum, cùm exquirerem quid promeriti Galli forent, cur illorum consiliis incœptisque cœleste Numen adeo benignè semper aspiraverit, nihil occurrit aliud, cui videatur hoc potiùs tribuendum, quàm eorumdem in avita Religione tutanda ornandaque singularis pietas, quæ mercedem hanc felicitatis & gloriæ divinitùs fuerit consecuta. Et verò nihil est rationi consentaneum magis, quàm ut imperia inter & Religionem fœdus mutuum ac sanctissimum intercedat: Religioni famulentur imperia, vicissimque imperiorum custos Religio sit,

firmissimumque præsidium. Quid enim sunt aliquid regna mortalium, nisi æterni & immortalis illius regni, quod in homines Deus exercet, expressæ quædam imagines? Quemadmodum igitur Deus ipse, dum orbem terrarum administrat, hoc sequitur ac spectat unum, ut colatur ab hominibus, & qualis quantusque est agnoscatur; sic regnorum hæc summa, hæc regnantum esse meta debet, ut honori Numinis amplificando, promovendo cultui, hoc est Religioni excolendæ, omnibus modis inserviant. Quod quidem dum præstant naviter, tunc Dei quoque interest, ut eorum tueatur opes, & dignitatem augeat, quippe cum sua ipsius dignitate gloriaque conjunctam.

Quod si qua Gens unquam extitit, quæ Religionem coluerit impensiùs, & eam ob rem Superum peculiari favore, ac patrocinio dignam se præbuerit; istud profectò decus jure nostra sibi Gallia vindicat. Sic est, AUDITORES, nec dubitamus hoc utrumque affirmare; primùm quidem, non aliam esse orbe toto gentem cui plus debeat Religio: Deinde, nullam pariter esse quæ Religioni plus debeat. Quæ duo vobis demonstrare dum aggredior, eò libentius, credo, dicenti favebitis, quòd argumentum istud non solùm instituto vitæ meo, sed & vestræ omnium pietati accommodatum inprimis esse videatur; simulque opportunis-

ſimum nobiliſſimæ juventutis inſtitutioni, quæ tum ex hac urbe regni principe, tum ex omnibus Galliæ provinciis tradita nobis in diſciplinam eſt. Ea, cum ad retinendum olim augendumque regni decus feliciter adoleſcat, hoc habere perſuaſum à nobis debet, non alio pacto poſſe certiùs ab ipſa regni ſplendorem, gloriamque patriæ promoveri, quàm ſi, cum ætas & res feret, in tuendam Religionem & amplificandam incumbat.

Est hoc ſolenne omnibus qui Chriſtianum profitentur nomen, ut Religionem, ut Eccleſiam, cuſtodem & alumnam Religionis, veluti parentem optimam venerentur. Illud ipſum tamen jure præcipuo facere videntur Galli, quibus hæc populorum omnium ſuffragio conceſſa laus eſt, ut eorum Reges Chriſtianiſſimi, & Eccleſiæ filii primogeniti nuncupentur. Veniunt in partem iſtius appellationis & gloriæ quotquot Chriſtianiſſimi hujus regni tenentur legibus: hauriunt præ ceteris Galli omnes ab ipſis incunabulis eum erga Religionem animum, hunc ſenſum ardoremque pietatis in Eccleſiam, quo liberi erga parentes affecti eſſe ſolent. Neque verò ſe aliter geſſerunt unquam, eaque ſemper in Religionem officia, & beneficia contulerunt, quæ conferre in parentes filii amantiſſimi debent: opes dico, honorem, præſidium. Hæc enim ſunt

admodum, quæ ut liberi parentibus elargiantur, ipsa naturæ vox admonet. Quàm igitur prolixè, quàm liberaliter hæc tria in Religionem, & Ecclesiam Franci profuderint, quibus eam ditaverint opibus: quo affecerint honore; quo præsidio semper auxilioque tutati sint, etsi nemo vestrûm ignorat, recognoscite mecum tamen hac priori parte orationis, & animos vestros ad beneficia majorum vestrorum tuenda, imò etiam, si fieri potest, cumulanda, excitate: *Armantur filiorum animi*, inquit Eucherius, *dum patrum recensentur triumphi.*

Non semper is, quem nunc in Ecclesiâ conspicimus, splendor, non amplitudo, non opes extitere. Fuit illud aliquando tempus, cum, exiguis limitibus definita, non habebat ubi pedem, ut ita dicam, figeret in suo. Nata inter cruentos Neronum ac Deciorum gladios, nihil ferme poterat appellare suum, nisi sanguinem quem profunderet; nisi corpora, quæ rotis & equuleis devoveret; nisi aliquantulum sacræ supellectilis, quod sævientium impietas & avaritia prædaretur. Postquam respirare à tyrannorum crudelitate cœpit, atque apud Reges Cæsaresque in pretio & honore esse; maternæ illos inopiæ puduit; nec decorum esse putaverunt, dum opibus ipsi affluerent, parentem optimam & sanctissimam istis rei domesticæ velut angustiis

conflictari : fundos , provincias , regna quibus frueretur, obtulerunt. Ita, quæ in ſpeluncis & cryptis hactenus delituerat, erexit caput , & in lucem hominum , deterſo egeſtatis priſtinæ ſitu & ſqualore , prodiit : laxiùs & magnificentiùs , extructis ubique ſacris ædibus , habitavit ; ornatum & pompam myſteriis auguſtiſſimis & cærimoniis adſcivit.

Hæc tua primùm Eccleſiæ locupletandæ cura lauſque , Conſtantine Magne , fuit. Sapienter exiſtimaſti ſcilicet , non parum venerationis acceſſurum Religioni ab illo quem opes afferunt ſplendore : duci allicique populos intelligebas nitore templorum, ſacratum veſtium , vaſorum , ac rerum id genus aliarum apparatu ; non animi tantùm interno , ſed externo corporis habitu Deum coli : cùmque ex hominibus conſtaret Eccleſia , humanis quoque ornamentis induendam eſſe. At Conſtantinum , & alios , qui porrò ſecuti ſunt , Reges ac populos quantùm eo ſtudio , & pia liberalitate Franci ſuperarunt ! Teſtis illa vetus , quæ Ravennæ haud ita pridem eſt eruta , inſcriptio , in qua Pipinus Francorum Rex Eccleſiæ amplificandæ viam primus aperuiſſe perhibetur. Ille victo , & ſpoliato Rege Longobardorum Aiſtulpho , Exarchatum Ravennæ & Pentapolim , hoc eſt , veterem Flaminiam , Æmiliam , & Picenum ; quàm

dites amplasque regiones ! in his quàm lautas nobilesque civitates, Ravennam, Bononiam, Ferrariam, Ariminum, Anconam, Urbinum, aliasque tres ac viginti, Romanæ donavit Ecclesiæ: quarum urbium claves, unà cum tabulis quibus inscripta donatio legebatur, Pontifici tradendas, & in Confessione sancti Petri, ut monumenta vetera loquuntur, deponendas curavit.

Carolo Magno satis non fuit patris donationem ratam habere: præterea Sabinensem agrum, Spoletinum ducatum, & Beneventanum adjecit. Paternam avitamque liberalitatem Ludovicus Pius, Carolus Calvus, aliique postmodùm Imperatores Franci ac Reges ingenti accessione cumularunt. Apuliam subinde, Calabriam, & Siciliam, oriundi è Gallia heroës celeberrimi summis Pontificibus vectigales esse voluerunt. Demum quidquid in Italia Pontificiæ ditionis est, quidquid olim fuit, id Ecclesia Francis acceptum unis refert: nec aliam ferè ceteri Principes relictam sibi laudem habuerunt, quàm ut Francorum dona non imminuerent.

Quæ quidem non ostentandi ambitiosè beneficii causa commemoramus; sed est digna certè maximorum Regum pietas ac munificentia, quæ singulari præconio non sine posteritatis admiratione celebretur.

Quis enim non miretur, tot partas justo & legitimo bello regiones, tunc nascenti Francorum Imperio tam opportunas, tam necessarias, adeo liberaliter ac facilè donatas esse? quis nescit quàm suaves illecebras habeat proferendi atque amplificandi regni cupido? eccui tandem regi regnum suum non angustum videtur? Orbis totus Alexandro parvus fuit. Longobardorum gentem universam, superis pariter & hominibus invisam, fœdifragam, hostem Religionis ac pacis Franci debellaverant: eorum ditionem amplam, locupletem, vicinam; alias regiones pulcherrimas, Græcis & Saracenis ereptas, habebant in potestate: nemo erat qui cum ipsis de tam nova, tam vasta possessione contenderet, nemo qui armis illam vendicare posset: hanc ipsi totam abdicant ultro, Religioni & Sedi Romanæ largiuntur: pulchrius rati esse, ac gente Christianissima longè dignius, Ecclesiæ opes amplificare, quàm suas.

Certare visi sunt cum Regibus primores regni, cum proceribus singuli propè cives: neque satis piè se putabant vivere, nisi partem opum suarum aliquam Ecclesiæ impertirentur; neque satis Christianè mori, nisi eandem inter suos heredes primam scriberent. Verbis hic opus & oratione non est: loquuntur id satis & clamant tot cœnobia, quæ cernimus, amplissima & orna-

tiſſima ; tot Epiſcoporum à Gallis fundatæ ſedes ; tot ædes ſacræ ab iiſdem tanto ſumptu, tanta magnificentia conſtructæ, non domi tantùm, ſed foris, in Germania, in Anglia, in Italia ; tot latifundia, tot agri Clero attributi : adeo ut ſuperiori ſæculo novæ religionis architecti conflandæ propterea Catholicis invidiæ cauſam, ſi ſuperis placet, idoneam ſibi datam eſſe putaverint. Urebat illos Eccleſiæ ſplendor : tantas ejus opes approbare non poterant. Hinc eſt opinor, quòd illam ſpoliare tam diligenter, invadere ſacras poſſeſſiones, expilare templa, cœnobia diripere ſtuduerunt : placuit filiis nimirum egregiè piis & religioſis, mater inops, Eccefia inornata placuit, & veteri, ſic enim dictitabant, Eccleſiæ ſimilior, nempè ut ejus exuviis ornaretur, ejus paupertate diteſcerent.

Honor & veneratio alterum eſt, ut diximus, vectigal parentibus bebitum à liberis. An minùs prolixè fuerit à Gallis Religioni perſolutum, quæſo mecum expendite. Quemnam, AUDITORES ILLUSTRISSIMI, ampliorem illa honorem à noſtris hominibus adipiſci potuit, quàm ut ferè omnium primi ſanctiſſimas ejus leges ſumma voluntate amplecterentur, eam in regnum & ſolium acciperent, tunc cùm aliorum apertis armis, aliorum occultis odiis peteretur, ab aliis impura dogmatum alie-

norum labe contaminaretur? Recordamini, amabo, quam religionem profiterentur Imperatores ac Reges, qui rerum in orbe potiebantur, quando Clodoveus nomen Christo dedit. Anastasius Orientis Imperator, non infectus tantùm hæresi Eutychiana, sed Catholicorum vexator dirus erat: Theodoricus in Italia, Alaricus in Hispania, Trasamundus in Africa; Suevi, Alani, Wandali, Wisigothi, Ostrogothi, Burgundiones, Germani, Angli, aut inania colebant numina, aut Arii scelerata dogmata sequebantur; unus Catholicam Religionem, quæ sola religionis obtinere nomen debet, Clodoveus cum suis profitebatur, unus illam veluti regio diademate redimitam, in majestatis consortium adsciscebat.

Magnum est quòd primum in Europa Regem Catholicum Ecclesiæ Francia dederit: majus & ad Religionis gloriam insignius, quod inter tot Francorum Reges, qui Clodoveum exceperunt, nemo unus reperiatur, qui juratum ab eo Ecclesiæ obsequium abjuraverit, qui à fide Apostolica desciverit. Audite hoc Reges orbis terrarum & Principes, quicumque dictum Religioni Sacramentum turpiter violastis, qui maternis verisque ritibus novercales & spurios prætulistis: dum indigno victi metu, vel deterioris exempli lenocinio pellecti, vel cæcâ latiùs licentiúsve regnandi

cupiditate abducti, Religionem vestris commodis servire coëgistis; dum illam spoliastis omni dignitate, exauctorastis, exterminastis, ferro flammaque, novi Nerones ac Diocletiani, exscindere tentavistis; manserunt nostri Reges in Ecclesiæ fide, inter tot morum, temporum, fortunæ, varietates; tot bella tum domestica tum externa; tot illecebras, tot molitiones, vafræ, insidiosæ, armatæ novitatis; neque tot sæculis, ab avita pietate dimoveri potuerunt. An non hoc demum est Religioni honorem habuisse?

Quanta venerationis significatione acceptos ab iisdem legimus summos Ecclesiæ Antistites? cùm illis longè irent obviam, ad eorum pedes unà cum liberis & regni proceribus acciderent, illos prehensis equi frænis deducerent ipsi pedites, eò reliquis majores Regibus, quò se minores Christi vicariis fatebantur. Quàm gloriosum Religioni tunc fuit, supra Regium quodammodo fastigium sic evehi ab iis regibus, quorum majestas jam ipsis Gregorii Magni temporibus *Regnorum ceterorum culmen* (ut Pontifex idem sanctissimus testatur) *tantò excellebat, quantò ceteros homines regia dignitas antecellit.*

Sed quoniam levioris est momenti externus iste cultus, & ad splendorem pompamque comparata veneratio, si absit vera

illa, quæ insidet animo, pietas, quæ probatur obsequio, quæ obedientia cernitur; age, quosnam Religio, quos Religionis custos Ecclesia, vel reges vel populos habuit unquam sibi magis addictos? quos ad obtemperandum promptiores? ubi firmior, quàm in Francia, Ecclesiæ auctoritas ubi sanctior? Proferantur quæ extant adhuc, & sunt in manibus, Caroli Magni, Ludovici Pii, Divi LUDOVICI, principum virorum complurium testamenta; quid in iis unicè commendant suis liberis, & præcipiunt, nisi ut auctoritatem Ecclesiæ ac dignitatem sartam ubique ac tectam conservent. Vidisti, Germania, & videre, credo, puduit, cum gravis olim de tradendis legitimè beneficiis Ecclesiasticis, deque illo jure, quod *invstituram* appellant, inter summos Pontifices, & Reges Cæsaresque coorta lis, & controversia fuit: vidisti, inquam, Othones tuos, Henricos, Fredericos, sævire in Ecclesiam, ac debacchari atrociter. Quid interim Galli? Nimirum quibus multò etiam potior suberat reclamandi causa, tam piè nihilominus, tam reverenter se gesserunt, ut ceterorum inclementiam sua moderatione condemnarint. Quo loco temperare mihi non possum quin exclamem cum illustrissimo Ecclesiæ annalium scriptore Henrico Spondano, dum in consimili causa, in qua Pius Secundus repulsam à Polonis

nis regibus & Hispanis passus, Gallos obsequentes habuerat; ita scribit: *Fidentissimè dicimus, & quandocunque probandum fuerit, cumulatissimè demonstrabimus: demonstrabit & quicumque vel minimam rerum antiquarum, & singulorum regnorum ac populorum cognitionem habuerit, nunquam extitisse nationem, nec ipsam Italam, nec ipsam urbem Romam, ut jam ceteras longe inferiores taceamus, quæ obedientiæ erga Sedem Apostolicam, Gallicæ longissimo intervallo comparari possit.* Hæc ille graviter pro more suo, & candidè.

Parum est verò fuisse Gallos Ecclesiæ semper obsequentes: alios etiam ad ejusdem obsequium omni studio perducere contenderunt. Dagobertus Gandavenses & Flandros; Frisios Carolus Martellus; Carolus Magnus Saxones, Westphalos, Bohemos, Avares, Moravos; profecti è Morinis præcones evangelici Daniam, Sueciam, Gothiam; alii extremos Ponti Euxini accolas Christianis institutis excoluerunt. Diceres demandatam hanc divinitùs Francis provinciam fuisse, ut Catholicam fidem in orbe toto disseminarent, & *Ecclesiam*, (uti de illis Pius II. prædicat) *honestarent*.

Quid? ne ipsæ quidem fœminæ hujus expertes gloriæ ac pietatis extiterunt. Nam è regia Francorum domo Adalberga Edelbertum & Anglos Christo dedit; Ingundis

Hermenegildum, & Hiſpanos; Agiluphum & Italos Theodolinda; Caroli Simplicis filia Rollonem & Nortmannos; Heduvigis Iagellonem, & Lithuanos.

Sic videtur Deus per nobiliſſimas Chriſtianiſſimæ gentis fœminas eluere voluiſſe inuſtum olim Eccleſiæ dedecus per fœminas item principes, Conſtantiam, Euſebiam, Juſtinam, aliaſque ſatellites hæretici furoris, & adminiſtras. Conjecerant iſtæ Orientem ferè univerſum in ferales Arianæ perfidiæ tenebras: at noſtræ funeſtam hæreſeos noctem non ſolùm depulerunt ab Occidente, ſed clariſſimum etiam Catholicæ fidei lumen in Europam omnem invexerunt.

An levius autem de Religione meritos arbitramur Eccleſiæ Gallicanæ ſacerdotes, à quibus id præcipuè factum oportuit? Eccleſiæ quippe honor, ipſius miniſtrorum ſanctitate præſertim, & eruditione continetur. Hic mihi quàm ſplendidus, quàm numeroſus occurrit grex præſulum, ſacerdotum, purpurati ſenatus Patrum, ſummorum etiam Pontificum, quos Gallia, ſanctorum & eruditorum parens fœcunda procreavit? Quot egregios in illis intueor defenſores Catholicæ veritatis, propugnatores fidei, Religionis lumina & ornamenta? Remigios, Germanos, Eucherios, Gregorios, Sidonios, Sulpicios, Avitos,

Bernardos, Hincmaros . . . summos Pontifices decem & quatuor : eminentissimos è serenissima Lotharingiæ familia Cardinales; tum Turnonios, Perronios, Ossatos, Rupifucaldios, Richelios, aliosque bene multos, quorum nomina æternis fastis Religio memor scripsit.

Nihil dico de recensioribus, quorum dignitas, virtus, fama in oculis omnium auribusque posita est. Quam multa, nisi silentium ipse mihi prorsus indiceret, prædicare de illo verè possem, qui cœtum hunc ornatissimum præsentia sua cohonestat ? cujus majores illustrissimi tanta cum laude in sacris, de quibus agam postea, bellis versati sunt : cujus antiquissima domus, non minùs ob egregia in publicam rem & Ecclesiam merita, quàm propter nobilitatem, regiarum etiam familiarum cognatione inclytam, celebratur : cujus ardens & experrectum ad Religionis defensionem, ad tuendam regni dignitatem, studium : cujus sincera pietas ; prudentia singularis ; probitas integritasque morum, tot insignibus & privatim & publicè documentis perspecta est : eruditio constanti plausu sacri Collegii toties excepta : mens negotii cujuslibet capax ; par amplitudini mentis & excelsitati comitas, humanitas, & ad omnem rerum gerendarum usum ac facultatem innata dexteritas. De quo dubitari jure

poteſt, Romæ an Lutetiæ majori ſit in pretio; proceribus carior, an Regi, cujus eximiam non ita pridem benevolentiam & exiſtimationem in domeſtico luctu ſingulariter eſt expertus. Plura ne dicam, ipſius pudor ac modeſtia vetat: parco, & ad vetera, de quibus dicere inſtitueram, Eccleſiæ Gallicanæ lumina, quorum ſplendorem in ſe colligit, redeo. Quantum illi excellentes viri decus Eccleſiæ attulerunt; conſcribendis eruditis voluminibus, habendis concertationibus & conſiliis, ſuſcipiendis egregiis ubique locorum, ad propagandam fidem, laboribus?

Vel unus ille Pictavorum celeberrimus Antiſtes, ut ceteri modò taceantur, quàm inſigniter & Religionem, & Galliam, difficillimis Eccleſiæ temporibus illuſtravit! volitabant Ariani palam, armis Imperatorum, procerum favore, numero ſuorum ſtudiiſque ſubnixi: nullus erat qui ſperaret frangi poſſe corroboratam impiorum audaciam; vix ullus, qui cum illis manum conferere jam auderet: quid multa? Orbis Chriſtianus Arianum ſe quodammodo miratus, Superum hominumque fidem, ut in ſummo diſcrimine, implorabat: tantam veritati caliginem ſceleratus error offuderat! in hac rerum perturbatione ad volat Conſtantinopolim Hilarius, Conſtantio ſupplicem libellum offert: pugnam cum Aria-

nis deposcit. Hîc vero ad invictissimi Præsulis conspectum nequissimis veteratoribus excidere de manibus arma, non animus ipsis, non lingua constare; nec aliam invenere demum viam, qua tam formidandum pugilem effugerent, nisi ut illum amandarent procul, & per speciem honoris in suam quamprimùm Galliam remittendum curarent. Ita revertentem ex hæreticorum prælio Hilarium (ut ait Hieronymus) Galliarum Ecclesia complexa est.

An consecutis deinde temporibus refrixit ille Gallorum ardor ad proferendam ornandamque Religionem? vos appello, Americanæ, vos Afrorum sitientes ac desertæ plagæ, vos Turcarum ac Persarum ultimi fines, vos Canadensium tesqua & inhospitales sylvæ; te, Sinarum latissimè patens & aperta nuper tandem Ecclesiæ regio, ubi quàm gloriosam rei Catholicæ navaverint operam, ac navare pergant Galli, neminem vestrûm fugit. Quod ab annis centum humana vis nulla consequi aut industria potuerat, quod piorum omnium vota flagitabant, quod Apostolus Indiarum superiori sæculo, post Orientem sacris lustratum triumphis, tanquam laborum suorum mercedem amplissimam, & cumulum à superis enixè precabatur, quodque conversis in Sinense littus oculis moriens suspirabat; hoc Francis reservabant Cælites, hoc cuis,

LUDOVICE MAGNE, auspiciis feliciter effectum est. Tuarum fama & admiratio virtutum Sinensem Imperatorem conciliavit eruditis Sacerdotibus, eorum successoribus & æmulis, qui Sinas primùm, & Japones Christianis sacris imbuerant. Religio, quæ in vastissimo imperio fuerat hospes hactenus & peregrina, semper trepida, & ne solum vertere cogeretur anxia, certum ibi aliquando ac stabile domicilium invenit : edicto regio, quod vim perpetuæ legis apud Sinenses obtinet, data facultas indigenis Christianos amplectendi ritus ; & rigata tot Apostolorum sudoribus & sanguine diu seges, expectatam messem non sine fœnore amplissimo repræsentat.

Sic decet Christianissimum Principem, sic populum Christianissimum, Religionis gloria nihil antiquius habere.

Nec minùs strenuè Sedem Romanam & Fidem conspirantibus animis armisque contra Ethnicorum impetus, vim tyrannorum, hæreticorum insidias, Franci propugnarunt.

Atque hîc obrui me fateor, AUDITORES, copiâ rerum, & amplitudine, nec satis mihi ad dicendum suppetere vel facultatis vel temporis. Quàm dulce vobis praberem spectaculum, cùm summos Pontifices longo agmine producerem, in dubiis perditisve rebus, ad Galliam, ut ad consuetum laborantis Ecclesiæ asylum (ita Leo X. loque-

batur) singulis ex ordine sæculis confidentissimè accurrentes: regum nostrorum opem, nunc per litteras & legatos, nunc per se coram implorantes; in eorum patrocinio, & complexu acquiescentes?

Ibi cerneretis octavo sæculo Stephanum III. Adrianum I. Leonem III. nono, Joannem VIII. undecimo, Urbanum II. Paschalem II. duodecimo, Gelasium II. Calixtum II. Innocentium II. Alexandrum III. Gregorium VIII. tertio decimo, Innocentium IV. Urbanum IV. Bonifacium VIII. decimo-quarto, Joannem XXII. sexto-decimo, Clementem VII. Paulum IV. sæculo demum præsenti, Clementem VIII. & Paulum V. Eos, inquam, cerneretis modò vindicatos ab hostium immanitate, modò contra Pontificum non legitimorum artes & arma protectos; hîc à perduellium & seditiosorum factionibus liberatos, illic sedi suæ & dignitati restitutos.

Quàm felix orationi, quàm ingens panderetur campus, si liceret fusiùs explicare sacras illas expeditiones, in quibus Religio crucem, militiæ tesseram, filiis offerens, Europam in Orientem penè totam excivit? Quis mihi non assentiretur, cùm dicerem præivisse tunc aliis gentibus Francos, & signum ad rem bene gerendam sustulisse? Non viros familiæ cura, non adolescentes imbecillitas virium, non senes ætas ingra-

vescens, non Reges ipsos majestas Imperii prohibebat, quominùs ad eximendam impiorum jugo Religionem certatim fortunas, regna, capita, gravissimis periculis, & laboribus objicerent. Illos militum numero, illos dignitate ducum ac fortitudine ceteris longè superiores extitisse meminerunt etiamnum Arabes, Turcæ, Saraceni, quibus tanta jam inde ab illis usque temporibus injecta est opinio, tantus terror Franci nominis, ut Christianos Europæ reliquos appellent hodieque Francos, & ad illud, veluti fatale suo Imperio nomen exhorrescant. Vivent in sacris æternùm annalibus Heroës qui præclaram hanc militiam secuti, orbem terrarum Gallicæ virtutis gloria impleverunt, Godefridi, Balduini, Boamundi, Raimundi, Monfortii, Tancredi ... Ludovicus VII. Philippus Augustus, Ludovicus demum IX. qui amissa libertate, ac recepta, reversus domum non conquievit, donec ipsam quoque vitam in liberanda Religione profunderet.

Ignoscite, AUDITORES, si, ut fit in brevibus tabellis, & punctim quasi delineatis, non res ipsas vobis, sed rerum velut apices, & hominum exhibeo: si exclusus angustiis temporis cogor perstringere obiter Equitum Rhodiorum, quos nunc Militenses vocamus, Ordinem nobilissimum, Ecclesiæ columen, propugnaculum Fidei,

arcem

arcem Religionis : quem fundatum à Gallis & propagatum totè Gallia Magiſtri non minori ſapientiæ quàm fortitudinis laude rexerunt; in quem cooptati ſunt è primariis hujus regni familiis tot viri præſtantiſſimi, quibus maximè alumnis ampliſſimus Ordo gloriatur.

Sed præterire tamen obiter non poſſum, quamquam animus meminiſſe horreat, ipſaque refugiat oratio, teterrimum illud bellum, quod adverſus Religionem Catholicam conflatum eſt, non à Saracenis & barbaris; ſed ab ipſius Eccleſiæ filiis dicam an proditoribus? non in Aſiæ aut Africæ longinquis oris, at in ipſo prope Religionis ſinu; cum fatale monſtrum ex omnibus priſtinarum hæreſum venenis concretum, ſtragem latè ſacrorum ac vaſtitatem Europa tota circumtulit.

O ſancta majorum fides! ô divina Religio! quantum diſcrimen tunc, & periculum adiiſtis! everſæ paſſim aræ, diſturbata templa, proculcata legum auctoritas, majeſtas regum in contemptum & ludibrium adducta, jura omnia divina & humana per inauditum furorem ac veſaniam nefariè violata. Jam Anglos, jam Danos & Suecos dira lues pervaſerat; jam Germaniæ pars melior, jam Belgii cultiſſimæ Provinciæ ritus patrios abjecerant: in Galliam quoque infanda peſtis incubuit. Nihil ſceleris,

doli, crudelitatis, intentatum & inausum reliquit, ut plebem novitatis illecebra, nobilitatem studio partium, Sacerdotes ementita disciplinæ sanctioris austeritate corrumperet.

Enimverò quibus animis, quo consensu omnium ordinum & alacritate, major ac sanior Christianissimi regni pars ad Ecclesiæ Religionisque defensionem exarsit! toto, ut ita dicam, regni corpore pugnatum est; armis, legibus, edictis, metu, pœnis: à Regibus ducibusque primariis, in acie & campo; à præsulibus, in templis; à custodibus legum, in curia: majoribus vestris, Præsides illustrissimi, amplissimi Senatores, quos hic intueor, vestris, inquam, majoribus, quibus (dicam audiente Gallia, & plaudente dicam) quibus conservatam Religionem præcipuè debemus: quorum exemplis, voce, auctoritate inflammati hujus dominæ urbis cives imi pariter & summi, dimicationem omnem, omnia pericula fortunarum, capitis etiam ac salutis, læti ovantesque subierunt.

Neque tamen ita comprimi pestiferum feralis Hydræ virus potuerat, quin ejus aliqua pars resideret in Galliæ visceribus, unde gliscebat sensim, & ad reliqui perniciem corporis tacita contagione serpebat. Spirabat adhuc immanis bellua, licet centum petita vulneribus, centum vinculis con-

ſtricta, & in dies clam invaleſcebat. Alebatur doloſo cineri ſuppoſitus ignis, in flammas & incendia, ſi quis ventilaret, erupturus. Unus erat LUDOVICUS MAGNUS, qui poſſet ignem hunc, ſeris etiam metuendum nepotibus, extinguere; triſte monſtrum ſupremo vulnere conficere; unus, cui Gallia, Religio, Eccleſia, beneficium hoc deberent. Alium tantæ molis opus exterruiſſet: alium exitus plenus periculi & aleæ retardaſſet. Vel ipſa rei tam ancipitis & arduæ fama Europam tenebat omnem attonitam metu, expectatione ſuſpenſam. Oblitine ſumus qui ſermones hoſtium, qui rumores amicorum forent? cum dicerent palam, Religioni Catholicæ in Gallia, aut ipſi Galliæ, aut utrique pariter eſſe pereundum. Vidit hæc LUDOVICUS, vidit: ſed Religionis inſito penitùs amore accenſus, ſed Deo duce magis quàm ſua fortuna, viribus, felicitate fretus, unum ſe conſociatis in Religionem & Franciam exercitibus, conſiliis, furoribus, objecit. Quid eſt bene mereri de Religione, quid, *murum ſe pro domo Dei opponere*, ſi hoc non eſt? Nunc iſti demum oraculo fides conſtat quod Pius II. cum ad Ludovicum XI. ſcriberet, edidit: ***Fidem ſalvare, Francorum regum proprium eſt.***

Retulere Superi par tantæ fortitudini ac pietati præmium; ſtetit Gallia & vicit vi;

cit pariter Ecclesia, Religio triumphavit: neque alias unquam magis intellectum est, cùm Franciæ Religio debeat plurimum, plurimum quoque Franciam Religioni debere: quod aliis quoque insignibus documentis antea comprobatum fuit, ut breviter modò cursimque sum ostensurus.

Sentio enim me, AUDITORES, tam jucundi, tam gloriosi vobis argumenti ubertate longiùs, quàm vellem, fuisse progressum: id alteriùs, quæ superest, partis brevitate compensabo.

QUÆ tria Religioni Francia dederat, Religio Franciæ reddidit, opes, honorem, præsidium. Singula hæc strictim delibemus.

Scrutemur annales nostros, ad Franciæ primordia recurramus. Quo tandem ex fonte, quibus initiis ad tantam amplitudinem est provectus qui res Francorum & opes, antea sanè angustas, à Rheno ad Pyrenæos usque montes protulit incredibili celeritate Clodoveus? Nostis, AUDITORES, ex ea scilicet quàm adversus Alemannos, auspice Religione, adeptus est, victoria. Instabat hostis primo successu ferox & omnia metebat ferro: Francus miles pridem vinci & pedem referre nescius, cedebat abjiciebat arma, pronis agminibus effundebatur in fugam. Ubi tunc ille Stator Jupiter, ubi armipotens Marvos, Clodovee,

ubi gentiles, quos hactenus colueras, Dei? sensit Rex illos appellari frustra: meliorem ac majorem Deum inclamat: medias inter suorum strages ac fumantia recenti cæde cadavera, solennibus verbis votum concipit de Christiana Religione, si vinceret, amplectenda. Ecce tibi mutata subito pugnæ facies: hostis antea victor, consistit, fugatur, ad internecionem cæditur: victis animus, vires, victoria redit. Ex illo Romana res in Galliis ac potentia cœpit infringi, languescere barbarorum impetus, vinci Burgundiones, Wisigothi cedere, ipsi Alemanni jugum subire, ac vectigal pendere coacti: demum Anastasius Imperator per legatos Francorum Regi gratulatus, eidem diadema gemmis baccatum, cum aliis præcipui honoris insignibus, detulit. Nec ipse Clodoveus cui deberet hanc tantam felicitatem non agnovit, missâ Romam coronâ ex auro quam offerri Christo voluit, ac Sanctorum Apostolorum tumulo, victoriæ monumentum & pietatis, imponi.

Sed hæc Franciæ quasi adolescentia duntaxat fuit. Quantùm illa sub Dagobertis, Clotariis, Childebertis; sub Carolo Martello, sub Pipino, crevit! Quibus autem, nisi Religionis, auspiciis? Nempè cum ille Saracenis Christianum nomen delere meditantibus victrices turmas opponeret; hic Longobardos Ecclesiæ Romanæ hostes in-

fensissimos exterminaret; isti Arianæ sectæ reliquias, etiam ultra Galliæ limites, debellatum irent.

Nonne Carolo M. diadema Cæsareum Religio videtur ipsa suis manibus imposuisse? Ecquid vobis illum cernere videmini Romam subeuntem, ignarum tanti, quod ipsi parabatur, decoris ac tituli? Ecquid Leonem III. aspicitis, cum repentè nec opinantem & piæ precationi ante majorem aram intentum adortus, coronam addit capiti, salutat Imperatorem, præitque populo Carolum Imperatorem, Carolum Augustum acclamanti, ac faustis ominibus novum Cæsarem prosequenti? Sic orbem propè dimidium Carolo, sic Francis tunc Occidentem Religio largita est. Addidit, annis post trecentis, Constantinopolim & Orientis imperium: an eorum augere magis ditionem, an opes amplificare magis potuit?

Quid dicam de summis quibus eadem illos affecit honoribus? Quid Gallico nomini gloriosus poterat impertiri, quàm ut Franciæ Reges peculiari beneficio adoptaret, insigniret magnificentissimo nomine, ac primogenitos Ecclesiæ appellaret? Ut illis, eorumque legatis & oratoribus Principem ante ceteros orbis Christiani Reges locum tribueret in Consiliis œcumenicis, in sanctissimis illis cœtibus, in quibus de gravissimis Christianæ reipublicæ negotiis agitur,

Quæ tota majestas Religionis explicat? Quem quidem ipsis locum, quam honoris Prærogativam integram illibatamque servavit, iis etiam temporibus, quibus nobilissimi & potentissimi æmuli nullum non movebant lapidem, ut hunc illis eximiæ dignitatis gradum eriperent.

Adde jura quædam præcipua, immunitates & privilegia, magnorum in Ecclesiam argumenta & præmia meritorum, quæ nostris Regibus ac toti nominatim Ecclesiæ Gallicanæ maximo esse ornamento constat. Quid quod sacri sedem ac domicilium Imperii per annos complures in Gallia Religio collocavit, quod nulli extra Italiam genti concessum accepimus. Non quæro jam quæ causa fuerit summis Pontificibus in Gallias demigrandi: hoc unum dico, quam turpe nonnullis fuit eos ejicere, tam honorificum esse Gallis hospites tantos excepisse ut par erat, & apud se domi tot annos habuisse.

An fuit autem parcior in tuenda Francia Religio, quàm in ornanda? Possumusne, nisi planè cœci aut ingrati sumus, non agnoscere insignem præpotentis Dei tutelam, cum tot hostes, tam varios, tam validos, modò conjunctis, modò divisis armis ac viribus in Galliam subinde irruentes, & ab ejus cervicibus tam prosperè, tam fortiter dejectos intuemur, imò ejus triumphis & gloriæ servire compulsos, tum præcipuè

cum agebatur causa Religionis, cum eam Franci aut retinere aut vindicare laborabant.

Potuitne sine singulari Numinis præsidio, suam videlicet causam, sua sacra defendentis, aut Alaricus ille cum infestis Arianorum agminibus, tam facilè deleri? aut Saracenorum fœda colluvies, fidei ac religionis perniciem anhelans, amplius trecentis eorum millibus uno prælio concisis, dissipari? aut Albigensium tanta strages edi ab exigua Francorum manu, octingentis, opinor, equitibus, ut ipsorum centena millia partim in fugam conjecta sint, partim cæsa.

Possem sexcenta ejus generis exempla recensere, quæ vobis, rerum nostrarum & historiæ peritis sponte sua, tametsi non admoneam, occurrunt.

Non apperrè Francis æther & Carolo VII. militabat? cùm ille in sua pæne domo captivus, exul in regno, indictum sibi vivo ac videnti acerbissimum funus ac patriæ cernert? cùm Franciam in Francia quærerent ipsi Franci, & Henricum VI. Anglum, Franciæ regem in hac regni arce appellatum hujus urbis tecta & mœnia ingemiscerent. Data cælitus est Francis regni recuperandi administra, duxque operis tanti, mulier, quæ viros; virgo rusticana, quæ bellatores; sola & omnibus ferè præsidiis orbata,

quæ victores & copiis omnibus affluentes vinceret: quorsum? ut majores humanis vires sera posteritas fateretur; ut se suis etiam rationibus consuluisse Galli scirent, cum Ecclesiæ tranquillitati consulebant ac paci, cujus exitiale schisma tunc præ ceteris abolere satagebant.

Qua tandem, nisi Religionis, cujus defensor acerrimus extitit, ope ac beneficio, Franciscus I. florentem Galliam tenuit adversùs duorum regum vicinorum invidiam & conatus, quorum alter Catholicam ejuravert Fidem, alter illam, per speciem pietatis, in gravissimum interim periculum adducebat?

Quisquamne sperasset gravissimos illos turbines, quibus Hæresis regnum sub Henrico II. Francisco II. Carolo IX. Henrico III. concusserat, aliquando compositum iri, nisi serenitatem optatam ac pacem Religio, quam Henricus demum IV. in pristinum reposuerat honorem, revexisset?

Quid abire longiùs necesse est? num illud, quo perfuncti nuper sumus, bellum, quid Gallia, cum pugnat pro Religione, vel sola contra conjuratum orbem possit, satis superque demonstravit.

Hic vero Superum favor, hoc singulare patrocinium nobis expectandum ex eo tempore præsertim fuit, quo LUDOVICUS Justus regnum Christianissimum solenni vo-

to & sponsione sanctissima Deiparæ Virgini, expultrici Hæreseon, Ecclesiæ parenti, Fidei patronæ, consecravit. Quam regis populique Christianissimi devotionem LUDOVICUS MAGNUS observari diligenter, & majori etiam quam antea concursu procerum instaurari quotannis imperavit.

Nunc igitur tibi tua pietate, ac religionis studio, Fracia, gratulare: nunc eidem Religioni gratias habe. Quòd flores, quod viges tamdiu, dum regna te circum cadentia, surgentia, imminuta, immutata, translata; eversa, & profligata cernis: quod hostes numero, viribus, odiis metuendos, at incassum oblatrantes, ut rupes iratos & incursantes fluctus, immota, inconcussa, tua stans mole, despicis: quod reges numeras quatuor & sexaginta, è tuo prognatos omnes sinu, sibi perpetua succedentes serie, quam nulla fortis adversæ discrimina, nulli conatus invidiorum aut æmulorum, nulli externi motus, nulli tumultus intestini, abrumpere potuerunt hoc Religionis beneficium puta. Jactes per me licet ac verè prædices regum tuorum sapientiam, fortitudinem tuorum militum, leges à constituta monarchia prudentissimè conditas: haud satis firma, mihi crede, munimenta sunt isthæc adversùs inconstantiam populi, procerum dissidia, ludibria fortunæ. Altius, altiùs repetenda nobilissimæ

antiquitatis tuæ causa : hoc illud scilicet oraculum est quod olim cecinit Remigius, ille Religionis in Gallia sator & parens, *Quandiu Gallia Ecclesiæ adhæreret, semper prosperaturum regem & regnum.*

Nempè hoc Religio, Ecclesia hoc habet, auctore ipso ac sponsore Christo, proprium ac peculiare, ut nunquam sit convellenda: dotem hanc suam cum obsequentibus sibi & adhærentibus regnis communicat, partem illis quandam suæ immortalitatis impertit.

Hinc illa quam admiramur, Galliæ felicitas. Hinc additi triumphis triumphi, quorum fortunatus tenor, nullo detrimento intercisus, constantissimo successu ad nos usque permanavit. Hinc inoffensus ille victoriarum tuarum, LUDOVICE MAGNE, cursus: hinc magnifica regni tui ac nominis, non apud vicinos modò, sed apud exteros commendatio. Præclarum est, quod bella gravissima Belgicum, Hispaniense, Siculum, Algerianum, ac novissimum illud ceteris multò gravius, semper invictus ac similis tui, confeceris: præclarius, quod Religionis utilitate rationes & belli gerendi, & pacis componendæ metiaris: quod Religionis causâ modum victoriis ponere non abnuas, ejusque securitatem tuis etiam commodis (rarum gloriæ genus) anteponas, hoc uno contentus & felix, addo, verè magnus, verè christianissimus, si Re-

ligionem florere ac triumphare jubeas. Facessant enim & in malam rem abeant politicæ rei ac scientiæ corruptores, pietatis hostes ac veritatis, qui secundam, qui postremam Religionis in administrando regno curam esse habendam censent. Intelligant, vicarios Dei Reges, legatosque esse. Impressum augustis frontibus divinæ auctoritatis præferunt lumen; assident veluti Numinis solio, unde voces ipsius ac mandata propiùs excipiunt; ejusdem personam, locum, nomen, obtinent; nonne cum illo amicè conjurare, ut ita dicam, debent, ejusque obsecundare consiliis, quæ tota referuntur ad Religionem veram, aut inferendam pectoribus mortalium; aut, si jam est insita, fovendam?

Ego verò, AUDITORES ILLUSTRISSIMI, à Deo Optimo Maximo, ceterisque Superis hujus imperii custodibus, quorum ope Gallia multò magis quàm ratione hominum & consilio gubernatur, precor, ut laudem hanc ditatæ, ornatæ ac defensæ Religionis propriam nostræ gentis in posterum, uti fuit hactenus, ac perpetunm esse velint; Deinde vos oro atque obtestor, ut curas omnes, studia, labores in augenda, in cohonestanda, in tuenda veteri Religione collocetis. Defendite illud vobis præconium à Gregorio IX. genti vestræ concessum; *Quod in fervore Christianæ fidei, & devo-*

tione Apostolicæ Sedis, non sequantur alias gentes Franci, sed antecedant.

Ad extremum id perficite ut quantum majoribus vestris debet Religio, quantum illis dedit; tantumdem se dedisse vobis, & à vobis pariter accepisse glorietur.

DIXI.





LAUDATIO FUNEBRIS
HENRICI BORBONII
PRINCIPIS CONDÆI,
PRIMI
E REGIO SANGUINE.
PRINCIPIS.

Dicta Parisiis IV. *Id. Decembres in Æde Sacra Domus Professæ Societatis* JESU, *ubi Cor illius conditum est, à* P. BOURDALOÜE, *ex eadem Societate* 1683.

E Gallico in Latinum conversa ab JOSEPHO DE JOUVANCY, ejusdem Soc. Sacerdote.

In memoria æterna erit Justus. Psal. 111.



RINCEPS SERENISSIME,

QUOD medio in sacrificio & sanctissimis cærimoniis hodie surgam ad dicen-



ORAISON FUNEBRE

DE

HENRI DE BOUBON

PRINCE DE CONDÉ,

ET

PREMIER PRINCE DU SANG,

Prononcée à Paris le 10. Décembre 1683. dans l'Eglise de la Maison Professe de la Compagnie de JESUS, où repose son cœur.

Par le P. BOURDALOÜE de la même Compagnie.

La memoire du Juste sera éternelle. C'est l'Oracle du S. Esprit dans le Pseaume 111.

MONSEIGNEUR,

Ce n'est pas sans raison, ni même sans un dessein particulier de la Providence,

que je parois aujourd'hui dans cette Chaire, interrompant les sacrez mysteres, pour renouveller dans l'esprit de ceux qui m'écoutent le souvenir d'un Prince, dont il y a déja tant d'années que nous avons pleuré la mort. Si la memoire du Juste doit être éternelle, seulement parce qu'il est juste; beaucoup plus la mémoire de celui-ci, qui dans sa condition de Prince n'a pû être juste de cette parfaite justice que la Religion & la Foi Catholique formerent en lui, & qui fut, comme vous verrez, son véritable caractere; sans avoir mérité par un double titre, que l'on conservât éternellement le souvenir de sa personne.

L'une des malédictions de Dieu dans l'Ecriture, est d'anéantir jusqu'à la mémoire des Princes réprouvez: * Dispereat de terra memoria eorum; Que leur mémoire, *dit Dieu,* soit exterminée de dessus la terre. *Il ne se contente pas de détruire leur grandeur, leurs ouvrages, leurs entreprises, leurs vastes desseins, il se vange sur leur memoire même, qui s'effaçant peu à peu, tombe enfin dans une éternelle obscurité, & s'ensevelit pour jamais dans un profond oubli des hommes. Au contraire, l'une des promesses que Dieu fait dans l'Ecriture aux*

* *Ps.* 108.

cipum optimorum & divinæ legis amplificandæ studio flagrantium mercedem hanc amplissimam fore pollicetur, ut eorum memoria nunquam intermoriatur, ut propagetur longè in consequentes ætates, & senescere ac perire nescia, quandam quasi, vel hic, ubi omnia morti debentur, immortalitatem in hominum animis & suavissima recordatione consequatur. * *Non recedet memoria ejus & nomen ejus requiretur à generatione in generationem.* Constare suam huic oraculo divinò fidem ingens documentum est PRINCEPS SERENISSIMUS, cujus præclara laus & memoria me hodie ad dicendum, vos ad renovandam sacris anniversariis Funebris officii religionem & pompam excitavit. Dum stabit hæc ædes sacra, dum aræ templo, dum aris sacrificium, dum suus incruento sacrificio, Religioni, pietati manebit honor, tandiu vivet HENRICI BORBONII nomen, tandiu vigebit illius memoria, tandiu illam vectigalium quasi laudum honore debito posteritas omnis gloriosissimè prosequetur.

Unus inter ceteros ipsi addictissimus, hoc anniversariæ laudationis munus, velut pignus suæ in eum fidei, extare moriens voluit, nimirum ut intelligerent posteri, quantùm hero longè optimo deberet, cùm-

* Eccle. 39.

Princes zélez pour sa Loi, est que leur mémoire ne périra point, qu'elle passera de siecle en siecle & de generation en generation, & qu'affranchie des loix de la mort, elle trouvera dès maintenant dans les esprits & dans les cœurs une espece d'immortalité. * Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. *Ainsi*, CHRETIENS, *l'éprouvons-nous dans l'exemple du Prince dont je dois parler, & qui est le sujet de la cérémonie funebre pour laquelle vous êtes icy assemblez. Tandis que ce temple consacré à Dieu subsistera, & tandis qu'on offrira sur cet autel le sacrifice de l'Agneau sans tache, le nom de* HENRI DE BOURBON *ne mourra jamais ; ses loüanges seront publiées, & on rendra à sa memoire des tributs d'honneur.*

Un de ses serviteurs fidelles s'est senti touché de lui donner en mourant cette marque singuliere de sa reconnoissance. Il a voulu que la posterité sçût les immenses obligations qu'il avoit à un si bon maître ; & ne pou-

* Eccle. 39.

que id jam per se ipse testari & prædicare non posset, eximium pietatis suæ ac liberalitatis reliquit monumentum, quod sacri etiam Evangelii præcones excitati, vicariam sibi vocem operamque commodarent. Hoc munere defungi primus omnium aggredior. Id expetivit, quem coram intuemur, PRINCEPS SERENISSIMUS: cur morem gererem causæ id unum satis fuit. Non potui detrectare provinciam ab illo mihi impositam cujus imperia tam venerari debeo, quam amplecti. Vestrum erit, AUDITORES CHRISTIANI, me in hoc dicendi genere, quod mihi novum & insolens est, vestra benevolentia sustentare: meum erit vicissim ea maximè ad dicendum eligere, quæ moribus vestris informandis prosint. Ex his omnibus certè quæ dicturus hodie sum in hac laudatione POTENTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS HENRICI BORBONII, PRINCIPIS CONDÆI, PRIMI E REGIA STIRPE PRINCIPIS, istud quod initio præscripsi elogium verum esse constabit: *In memoria æterna erit Justus.*

Summa in illo fuere omnia: hoc tamen è multis deligo ac persequor hodie, quod & ad vestram utilitatem & ad hujus in quo versamur loci sanctitatem accommodatissimum esse visum est. Aio HENRICUM

vant plus s'en expliquer lui-même, il a laissé un monument de sa pieté & de sa liberalité, pour exciter les ministres mêmes de l'Evangile à le faire pour lui. Je suis le premier qui satisfait à ce devoir; je m'y trouve engagé par des ordres qui me sont aussi chers que venerables : le Prince devant qui je parle l'a desiré, & il ne m'en falloit pas davantage pour lui obeïr. Ce sera à vous, CHRETIENS, dans ce genre de discours, qui m'est nouveau, de me suporter; & à moi d'y trouver dequoi vous instruire, & dequoi édifier vos ames. Mais quoi qu'il en soit, Dieu n'a ainsi disposé les choses que pour verifier la parole de mon texte, en rendant éternelle & immortelle la memoire de TRES-HAUT, TRES-PUISSANT, ET TRES-EXCELLENT PRINCE HENRI DE BOURBON, PRINCE DE CONDE', ET PREMIER PRINCE DU SANG.

Tout a été grand dans lui : mais voici, MES CHERS AUDITEURS, *à quoi je m'arrête, & ce qui m'a semblé plus digne de vous être proposé dans le lieu saint où vous m'écoutez. C'est un Prince que Dieu*

BORBONIUM divino consilio procreatum fuisse ad Religionem veram in integrum restituendam : aio videri eundem vitam ac spiritum idcircò duxisse, ut Religionem veram tueretur & defenderet, aio denique mores illius integerrimos, virtutesque maximas ornamentum singulare ac decus Religionis veræ fuisse. Hæc tria ita se habere, clarissimis, quas ipsa res dabit, notis & argumentis patebit, ex quibus intelligetis ejus memoriam dignissimam esse quæ apud Deum hominesque sempiterna laude floreat. *In memoria æterna erit Justus.* In HENRICO BORBONIO nacta est Catholica Religio Principem, à quo tria multo maxima perciperet; qui nimirum illam restitueret, primum, deinde amplificaret, postremò etiam illustraret. Restitueret, inquam; hoc HENRICI veluti fatum felicissimum, seu Numinis in eo terris donando consilium appello : amplificaret, hæc ejus vitæ laus, hæc virtutis & animi exercitatio fuit : denique illustraret ornaretque, hunc vitæ ad virtutis & officii regulam constanter exactæ fructum fuisse demonstrabo.

Adsis dicenti, quæso, Deus Optime, Maxime, ut res tantas persequi piè sanctéque possim : & quemadmodum inanem artis profanæ cultum & ambitiosa humani sermonis ornamenta repudiare me profiteor,

fit naître pour le rétablissement de la vraye Religion; c'est un Prince qui semble n'avoir vécu que pour la défense & le soûtien de la vraye Religion : trois veritez que l'évidence des choses vous démontrera, & qui vous feront avoüer que sa memoire doit être à jamais en bénédiction devant Dieu & devant les hommes : In memoria æterna erit justus. *Un Prince dont la Religion Catholique a tiré trois insignes avantages, puis qu'il a servi à la relever, à l'amplifier, & à l'honorer. A la relever, & c'est ce que j'appelle le bonheur de sa destinée, ou le dessein de Dieu dans sa naissance; à l'amplifier, & c'est ce qui a fait le merite de sa vie, & l'exercice de son infatigable zele; à l'honorer, & c'est ce que je vous feray considerer comme le fruit de cette regularité solide qu'il observa dans tous les devoirs de sa condition.*

Inspirez-moi, mon Dieu, les graces & les lumieres dont j'ay besoin pour traiter ce sujet chrétiennement; & dans la profession que je fais d'abord d'y renoncer à toutes les pensées profanes & à tout ce qui est humain,

ſic tu divinæ Sapientiæ vim illam ad perſuadendos animos efficaciſſimam, qua tuus olim Apoſtolus vigebat, aſpira, ut oratoris ſacri partes hic agere quoque ac tueri poſſim, & Chriſtianis auditoribus hodie ſpectandum exhibere Principem natum, idcircò & electum divinitus, ut Religio propemodum extincta, ſi ſic loqui fas eſt, per eum reviviſceret; Principem, hoc ipſum ad quod deſtinatus divino conſilio & nutu fuerat, pugnando, vincendo, Religionem tutando, ſtrenuè exequentem; Principem denique, omnibus Chriſtiani Principis dotibus excultum, vita integerrimè & ſanctiſſimè traducenda Religioni ſuæ decus ac ornamentum inſigne conciliantem. Paucis complector omnia: Ortus HENRICI BORBONII, fidei Catholicæ felix & exoptatus; vita, eidem Catholicæ fidei tuendæ conſecrata; mores, quales eſſe in Principe decet, ad fidei Catholicæ decus compoſiti. Hoc triplex hujus orationis caput erit.

QUAMVIS LABORANTI Galliæ graviſſimis in periculis & difficillimorum temporum varietate Numinis tutela ſemper adfuerit, eò præſentior ſæpe, quò minùs expectata & propior miraculo videbatur: tamen id nunquam aliàs declaratum eſt illuſtrius, quàm ſæculo proximè ſuperiori

donnez-moi

donnez-moi ces paroles persuasives de vôtre divine sagesse, avec lesquelles je puisse aussi-bien que vôtre Apôtre, me promettre de soûtenir encore icy le ministere de Prédicateur évangelique. Un Prince né, & choisi de Dieu pour être, si j'ose parler ainsi, la ressource de sa Religion. Un Prince répondant à ce choix par les combats qu'il donna, & les differentes victoires qu'il remporta pour sa Religion. Un Prince parfait, & remplissant exactement ses devoirs de Prince pour faire honneur à sa Religion. En un mot, naissance heureuse pour le bien de la Foi Catholique, vie consacrée au zele de la Foi Catholique; regle de conduite, je dis de conduite de Prince, honorable à la Foi Catholique. Voilà, CHRETIENNE COMPAGNIE, *les trois parties de ce discours, & le sujet de vôtre attention.*

C'EST DE TOUT TEMPS *que la France a experimenté dans ses malheurs & dans ses revolutions un secours du Ciel d'autant plus singulier & plus favorable, qu'il a paru souvent moins esperé & plus approchant du miracle. Mais on peut dire, & il est vrai, qu'elle n'en eut jamais une preuve plus sen-*

exeunte, cùm oppressa malis, exhausta viribus, lacerata civilium bellorum furiis, exteris hostibus objecta veluti præda, in ultimum hoc adducta pæne discrimen est, ut Religionem veram, qua una steterat hactenus, rerum suarum fortunarumque columen illud unicum ac decus, amitteret. Adeste animis, dumque rem totam paulò altiùs repeto, diligenter auscultate.

Gallia illa florentissima olim & fortunatissima tandiu dum fidei sanctitatem ab omni erroris labe purgatam servaverat, luctuosis domestici belli atque intestinarum discordiarum fluctibus, in quos eam hæresis conjecerat, miserrimè jactabatur. Calvini secta factione magis & partium studiis, quàm pestilentis doctrinæ veneno metuenda, nequidquam contra nitentibus Catholici nominis defensoribus, jam fortior, jam armis virisque prævalida volitabat: dira labes contagione funestissima jam nobilissima imperii membra pervaserat, infectus illa regius sanguis erat; regni legitimus hæres virus exitiale cum nutricis lacte suxerat; principes ex ejus prognati stirpe ac domo non sectatores tantùm schismatis in Ecclesiam conflati, sed signiferi, sed propugnatores erant. Quid aliud inde, nisi certam imperii Francici ruinam exitiumque præcineres? Polluta templa, violatæ leges, convulsa legitimæ potestatis auctoritas, di-

sible que dans la conjoncture fatale où elle se trouva sur la fin du siècle passé, lorsqu'accablée de maux, épuisée de forces, déchirée par les guerres civiles, exposée comme en proye aux Etrangers, elle se vit sur le point de perdre ce qui l'avoit jusqu'alors maintenuë, & ce qui étoit le fondement de toute sa grandeur, à sçavoir la vraie Religion. Je m'explique:

La France autrefois si heureuse & si florissante tandis qu'elle avoit conservé la pureté de sa Foy, gemissoit dans la confusion & dans le desordre où l'Heresie l'avoit jettée. L'erreur de Calvin devenuë redoutable par sa Secte, encore plus que par ses dogmes, malgré toute la résistance du parti Catholique, avoit prévalu: son venin, par une contagion funeste, avoit gagné les Parties les plus nobles de l'Etat; le Sang de nos Rois en étoit infecté; l'héritier legitime de la Couronne l'avoit sucé avec le lait; les Princes de sa Maison étoient non-seulement les Sectateurs, mais les Chefs & les Défenseurs du Schisme formé contre l'Eglise. De là on ne devoit attendre que la décadence & même l'entier renversement de l'Empire François. Les Temples profanez, les Loix méprisées, l'autorité anéantie, le culte de Dieu sous ombre de réforme perverti, ou plûtôt aboli, en étoient déja les infortunez présages. Mais au milieu de tout cela, la Fran-

vini numinis cultus per nomen reformationis deformatus miserum in modum, vel extinctus potiùs, id omnino portendere videbantur. Tot inter procellas tamen ac tempestates Galliam divina vis tutabatur ac regebat; jam labantem illam, jam præcipitantem in exitium luctuosissimum ac certissimum Dei præpotentis manus benignissima sustinebat. Deus ille non jam Abrahami ut olim, Isaaci, & Jacobi, at Clodovei, Caroli Magni, Sancti Ludovici Deus, præsens adhuc & propitius illam respiciebat; utque præter omnium opinionem, spem ejus erigeret, inde illi salutem parabat, unde causa exitii fore certissima videbatur. HENRICUM nempe BORBONIUM præclarum illum, de quo nunc agimus, Principem Deus præ ceteris ad rem tantam æternis consiliis destinarat. Hic verò animos adhibete, AUDITORES ILLUSTRISSIMI, & incredibilem divini consilii vim abditamque sapientiam admiramini.

Fuerat Henricus in hæresis quasi gremio educatus: in illo, etsi adhuc puero, spes omnes suas atque opes factio hæretica sitas esse judicabat; hunc heroem suum, hunc suum Achillem fore cõfidebat. Nec vana profectò fiducia niti videbatur. Enimverò hîc tua, Deus immortalis, Providentia hominum consilia ludificari & profligare cœpit. Hîc

te étoit sous la protection du Tres-Haut. Quoique penchante vers sa ruïne & sur le bord affreux du précipice où elle alloit tomber, la Main toute-Puissante du Seigneur la soûtenoit. Le Dieu, non plus d'Abraham, d'Isaac & de Jacob, mais de Clovis, de Charlemagne & de S. Loüis, veilloit encore sur elle, & pour relever son esperance contre son esperance même, * contra spem in spem, *il se préparoit à la sauver, par ce qui sembloit devoir être la cause de sa perte.* HENRY *l'incomparable Prince, dont j'ay entrepris de parler, étoit le sujet que Dieu avoit choisi entre autres, & prédestiné pour cela. Appliquez-vous,* MES CHERS AUDITEURS, *& admirez avec moy la profondeur des Conseils divins.*

Ce Prince étoit né dans le sein de l'Hérésie, & quoiqu'il fût encore enfant, le parti Hérétique comptant sur lui, & se promettant tout de lui, le regardoit avec raison, comme son Heros futur. Rien dans l'apparence n'étoit mieux fondé que cette vûë. Mais c'est icy, Providence admirable de mon Dieu, où vous commençâtes à triompher de

* Rom. 4. 18.

certis quibusdam, etsi occultis, modis omnia *suaviter fortiterque* disposuisti: fortiter quidem dum iisdem rebus quæ afferre moram & impedimentum poterant, usus es ad rem tuo arbitratu conficiendam: suaviter verò, dum aliud nihil ad id præter gratiam tuam blandissimam illam voluntatum pariter ac mentium expugnatricem adhibuisti. Qui media velut in hæresi natus erat Princeps, hic ille tandem erat, cujus ope renasci Religio vera, ut ita dicam, debebat, pristinumque decus ac splendorem recipere. Excitatus erat, eam ut primum domi suæ, tum in patria restitueret. Fuerat hoc majorum ipsius triste & calamitosum quoddam fatum ut ab ea desciscerent, hæc una tantorum virorum gloriæ labes inuri potuerat: hanc Henricus eluat: tot heroum nepos hæresque non deneger, fidem Catholicam instauret; atque ex illorum busto & cineribus ultor aliquis existat aliquando, qui damna per cæcum & inconsultum Religionis studium ab iisdem Ecclesiæ parenti suæ olim importata, resarciat. Divino factum nutu est, ut Condæa domus hoc alteri non deberet; ut quod everterat, eadem ipsa repararet: hoc una præstare pro dignitate poterat, hæc eam laus manebat. Esdras illi alter edendus in lucem fuit, qui divinam legem inter suos populares pænè intermortuam excitaret: alter Machabæus, qui co-

la prudence humaine, & c'est icy où par des voyes secrettes, mais infaillibles, vous disposâtes toutes choses avec force & avec douceur; avec force, changeant les obstacles en moyens, pour parvenir à vos fins; & avec douceur, n'employant pour y réüssir, que le charme de vôtre grace victorieuse des esprits & des cœurs. Ce Prince né dans l'Hérésie, étoit celui par qui la vraie Religion devoit renaître, pour ainsi dire, & se reproduire dans son premier éclat. Il étoit suscité pour la rétablir, premierement dans sa Maison, & par là dans toute sa Nation. Le malheur de ses Peres avoit été de s'en séparer, & c'étoit l'unique tache dont leur gloire avoit pû être ternie; il falloit qu'il l'effaçât. Il falloit que le petit-fils & le Successeur de ces grands Hommes fût le Restaurateur de leur Foy, & que de leurs cendres il sortît un digne vengeur des maux que leur zele aveugle & trompé avoit fait souffrir à l'Eglise leur Mere. Dieu ne vouloit pas que la Maison de Condé dût à une autre qu'à elle-même l'accomplissement d'une si sainte obligation, ni qu'une autre qu'elle-même eût l'avantage de réparer ce qu'elle avoit détruit. Elle seule en étoit capable, & tout le merite lui en étoit réservé. Elle devoit mettre au jour un autre Esdras, qui fît revivre parmi les siens la Loi de Dieu: un second Machabée, qui animé du même esprit, purifiât &

dem studio succensus, *mandaret : ac renovaret Sancta*, quæ majores primum sui, paternæ fidei ac Religionis obliti, profana fecerant. Hunc Esdram, hunc Machabæum sibi, nobis, Franciæ toti, in HENRICO dedit, per quem Condæa domus post annos triginta quàm errorem secuta miserè fuerat, ad Religionem patriam & Ecclesiæ Romanæ concordiam communionemque se retulit; per quem Regia domus reliquum perfidæ novitatis *fermentum expurgavit.* Singula, quemadmodum contigerint, breviter exponamus; quæ simul & ipsam rem planam facient, & animos vestros non injucunda recordatione detinebunt.

Henricus IV. Magnus ipso nomine, regiis virtutibus major, ubi summam potestatem adeptus est, eò subinde curas omnes intendit, ut eam corroboraret sanciretque; debilitandis paulatim hæreticarum partium viribus, præbendisque palam clarissimis indiciis sui Catholicam in Religionem studii atque animi, quam sibi denique profitendam sumpserat. Utrumque, etsi necessarium, operosum tamen erat & arduum; nec periculi expers, pro ratione temporis, si politicam scientiam consuleres. Sed incredibili felicitate, quidquid in utroque difficultatis inerat ac periculi superavit, cum Hæreticis, quod unum ipsis restabat præsidium, Principem Condæum, adhuc

renouvellât le Sanctuaire que ces ancêtres infidelles avoient les premiers profané. Ce Machabée, cet Esdras étoit nôtre HENRI: *& en effet c'est par lui que la Maison de Condé, aprés trente années de desolation, retourna au culte des Autels, & rentra dans la communion Romaine, c'est par lui que la Maison Royale acheva d'être purifiée du levain de la nouveauté & de l'erreur. Mais voyons-en les circonstances, qui, sans fatiguer vos esprits, vont me servir d'autant de preuves de cette verité.*

Henri IV. Monarque encore plus grand par ses vertus & par ses qualitez Royales, que par son nom, élevé qu'il fut sur le Trône, ne pensa dans la suite qu'à l'affermir, en affoiblissant peu à peu l'Hérésie, & donnant à la Religion Catholique, pour laquelle il s'étoit enfin déclaré, toutes les marques d'un veritable attachement. L'un & l'autre, quoique necessaire, étoit difficile; & selon les maximes de la politique l'un & l'autre, eû égard au tems, pouvoit-être dangereux. Mais il surmonta heureusement & les difficultez & les dangers de l'un & de l'autre, en ôtant aux Hérétiques le seul appui qui leur restoit; & retirant d'entre leur mains le jeune Prince de Condé, auquel il voulut

puerum abstulit, & iis ereptum in suam fidem tutelamque deinceps, tanquam alter parens, educandum recepit. Quis assequi dicendo possit, quàm felix sapientissimo consilio eventus responderit? Hoc scilicet vulnere Calviniana secta, quæ secundis rebus antea ferox & erecta regnabat, concidit: Religio adhuc trepida & abjecta, erexit se, jusque suum & principatum, securitate ac tranquillitate obtinuit. Ita Condæus Religioni Catholicæ datus, omen pignusque illi fuit certissimæ felicitatis ac secundissimi cursus quem deinde, Superis faventibus, tenuit: idem Hæresi ablatus & ereptus, insanabilis ac mortifera partium impiarum plaga fuit.

Viderat hoc sanctissimus & sapientissimus Pontifex Clemens VIII. cujus memoriam colere Gallia debet veneratione sempiterna; hoc ille, inquam, multò antè prospexerat. Stimulatus *omnium Ecclesiarum sollicitudine*, quæ ipsius & augebat metum, & vigilantiam acuebat, in tam dubiis ac formidolosis rebus, tot inter procellas quibus hinc Francia, inde Ecclesia vexabatur, nihil utrique convenientius præstari à se posse existimavit, quam si daret operam, ut Princeps Condæus in professione Orthodoxæ fidei educaretur: Id consilii cum cepisset, huc totus incubuit: hoc precibus multis lacrymisque flagitavit, atque, ut

desormais tenir lieu de pere, & de l'éducation duquel il se chargea. Qui pourroit dire avec quel succès & avec quelle bénédiction? Par-là le Calvinisme, de dominant & de fier qu'il avoit été, se sentit consterné & abbatu, & par là la vraye Religion, de consternée & d'alarmée qu'elle étoit encore, acheva d'être pleinement, & même tranquillement, la dominante. Posseder le Prince de Condé, fut pour elle une assûrance & un gage de toutes les prosperitez dont le Ciel l'a depuis comblée; & l'avoir perdu, fut pour le parti Protestant le coup mortel qui l'atterra.

Ainsi l'avoit prévû le sage & le saint Pape Clement VIII. dont la mémoire doit être à la France le sujet d'une éternelle vénération: ainsi, dis-je, l'avoit-il prévû. Pressé de ce soin de toutes les Eglises qui excitoit sa vigilance, & qui causoit son inquiétude, il ne crut pas dans l'état chancelant où étoient les choses, pouvoir rien faire ni pour la France ni pour l'Eglise de plus important, que de s'interesser à faire élever le Prince de Condé dans la profession de la Foi Orthodoxe. Il l'entreprit, il y travailla, il le demanda avec prieres & avec larmes, & comme Souverain Pontife il fut exaucé pour le respect qui lui étoit dû. A

summus Pontifex, *exauditus est pro sua reverentia*. Ea lege venia Regi & absolutio concessa est, sic ejus reconciliata cum Romana Sede gratia rata fuit. Id verò ne fieret quàm multa obstabant! Quis nescit quot artibus homines rem tantam disturbare conati sint? Sed Christi Vicarius ea cautione fretus, nihil extimescendum putavit: omnia tuta existimans, si Condæus Ecclesiæ redderetur; idque persuasissimum habens, si Henricus Borbonius Ecclesiæ addiceretur, hoc unum argumentum esse certissimum quo de Regis voluntate judicaret; tam sibi præterea nefas esse de Religione illius integerrima & purissima, quàm de ejusdem apertissimo ad sceptrum Gallicum jure dubitare. Quàm rectè istud judicaveris, Sanctissime Pontifex, eventus comprobavit; atque ipsa orbis Catholici vox, tuam sententiam suffragio suo plausuque confirmantis, jam tum declaravit, hanc tibi mentem injectam divinitus fuisse.

Rex æquè fortis ac sincerus, pius, juxtà & invictus, implere pactam conditionem gloriosum sibi esse duxit; qua perfecta, id quod animadvertatis velim, ejus ad fidem Catholicam reditus, tum demum quasi certo testimonio & indicio comprobatus fuit. Hunc ad avitam fidem reditum aut obtrectantium calumnia, aut inscitia imperitorum ad eam usque diem in suspicio-

cette condition la grace de l'Absolution du Roi, & la ratification de sa rëunion avec le saint Siége fut accordée. Mille raisons s'y opposoient, & vous sçavez par combien d'artifices & d'intrigues ce grand œuvre fut traversé. Mais le Vicaire de JESUS-CHRIST *sous une telle caution n'apprébenda rien : sûr de tout, pourvû que le Prince de Condé fût rendu à l'Eglise, & persuadé que d'assûrer à l'Eglise le Prince de Condé, étoit l'épreuve la plus certaine qu'il pouvoit faire des dispositions du Roi ; qu'aprés cela, il ne lui étoit non plus permis de douter de la pureté de sa Religion, que de son droit incontestable à la Couronne. L'évenement, Saint Pere, vous justifia ; & l'applaudissement que tous les peuples donnerent à vôtre conduite ; montra bien deslors, que c'étoit l'esprit de Dieu qui vous animoit, quand vous en jugeâtes ainsi.*

Le Roi aussi sincere que généreux, & aussi religieux qu'invincible, se fit un honneur d'accomplir la condition ; & , ce que je vous prie de remarquer, cette condition par lui accomplie, fut la preuve autentique de sa conversion. Jusques-là, ou la malignité ou l'ignorance avoit tâché de la rendre suspecte ; & la défiance qui s'étoit répanduë dans les esprits sur un point aussi

nem vocare tentaverat : ac diffidentia quæ multorum animos , in re tam gravi , tam lubrica & periculosa , invaserat , sustentabat etiamnum reliquias factionis quam suis quique privatis utilitatibus illecti conflaverant , quamque demens Discordia obductam mendaci larva sanctæ Unionis , & specioso Religiosi Fœderis nomine fovebat. Hi , quia Regem ex animo Catholicum esse nimis anxiè cupiebant , vix , ut esse Catholicum crederent, adduci poterant : illi, quia ne Catholicus esset verebantur , idque ipsorum intererat ; ne sibi persuaderent , cavebant. Sic istos cœca pertinaxque cupiditas, illos probus at inconsultus retinendæ Religionis amor , in fraudem inducebat.

At ubi Rex diffidentiæ suspicionumque istarum egregius contemptor , Principem Condæum ab oppido Sancti Joannis Angeriaci abduci jussit ; ubi eum ab audiendis Hæreseos ministris prohibuit ; ubi animadversus est in hanc per se ipse curam incumbere , ut Catholicis institutis erudiretur , eamque ob rem illi deligere magistros non minùs integritate fidei , quàm morum sanctitate conspicuos , Pisanium illum ævi sui decus. Fabrum insigni tum eruditione , tum pietate spectatissimum , ambos acerrimos Catholicarum partium defensores , ambos educando Principi sibi credito conspirantibus studiis addictissimos,

délicat & aussi essentiel que celui-là soûtenoit encore un reste de faction que la diversité des interêts avoit excitée, & que le Démon de Discorde fomentoit sous le nom specieux de sainte Union & de Ligue. Les uns, à force de desirer que le Roi dans le cœur fût converti, n'osoient absolument le croire: les autres affectoient de ne le pas croire, parce qu'ils craignoient qu'il le fût, & qu'il étoit de leur interêt qu'il ne le fût pas. La passion obstinoit ceux-cy, & un déréglement de zele séduisoit ceux-là.

Mais quand malgré les soupçons & l'incrédulité, on vit le Roi retirer de Saint Jean d'Angely le Prince de Condé, & ne vouloir plus qu'il écoutât les Ministres de l'héresie; quand on le vit s'appliquer lui-même à le faire instruire dans la Religion Catholique, & pour cela lui choisit des maîtres aussi distinguez par l'integrité de leur Foi, qu'ils étoient d'ailleurs exemplaires & irréprehensibles dans leurs mœurs, un Pisani l'honneur de son siecle, un le Févre doublement illustre & par son érudition profonde & sa rare pieté, tous deux Catholiques zelez, tous deux unanimement attachez à l'éducation du Prince que le Roi leur

qui, quemadmodum ille se gereret, Regi quotidie renuntiarent: hoc, inquam, ubi perspectum est, quin ipse Rex planè mutatus esset, nemo tum profectò dubitavit; illum ex animi sententia ad parentis Ecclesiæ sinum rediisse, contra quam adhuc hostes malevoli obtrectatoresque clamitabant, compertum denique & pervulgatum fuit: Fœdus illud sanctum, uti nuncupabant, dissolutum est: desperavit Protestantium secta, quæ hactenus in omnem restituendarum partium occasionem imminebat: Religio vera fractis utrimque ac debilitatis adversariis victrix, & quasi recepta luce, respiravit. Quàm repente res perturbatissima & implicatissima explicata est! Quanta lux oborta subitò in tantis tenebris! Hic, hic iterum exclamare lubet: *A Domino factum est istud.* Sed explicandum aliquando gravissimum hunc nodum nemo jure suspicatus fuisset, nisi Deus Condæum Principem elegisset, quo ad rem tantam perficiendam potissimum uteretur.

Nondum ætatis annum nonum ingressus erat (operæ pretium est hoc animadvertere) cum Rex, qui longè majorem in illo, quàm ætas ferebat, maturitatem, non judicii solùm, sed etiam Religionis, suspiciebat, has illi partes mandavit, ut Alexandrum Mediceum Summi Pontificis Legatum solenni apparatu Parisios ingredien-

avoit

avoit confiée, & dont chaque jour ils lui rendoient un compte exact; quand on vit, dis-je, le Roi en user ainsi: Ah, MES CHERS AUDITEURS, *on ne douta plus qu'il ne fût lui-même changé; & son retour à l'Eglise, que ses ennemis persistoient à décrier comme vain & apparent, fut par là justifié veritable & de bonne foi. La Ligue prétenduë sainte, se dissipa; la Protestante, qui quoique décheuë, pensoit toûjours à se relever, en desespera: la vraye Religion triomphant de l'une & de l'autre, respira, & se ranima. Dénoüement encore une fois, dont on put bien dire que c'étoit le Seigneur qui l'avoit fait.* A Domino factum est istud: *mais dénoüement qu'on n'auroit jamais dû attendre, si Dieu n'avoit suscité le Prince de Condé pour en être l'instrument principal.*

Il n'avoit pas encore neuf ans, ceci merite dêtre remarqué, & le Roi qui découvroit en lui une maturité de raison, & même de Religion, anticipée, le députa pour recevoir Alexandre de Medicis Legat du Pape dans son entrée solennelle. Avec quelle grace, quoi qu'enfant, & avec quelle dignité s'aquitta-t-il d'une si importante com-

tem exciperet. Quanta dignitate, tametsi puerulus, quàm ſcite, quàm eleganter tanto munere perfunctus eſt! Rem prodigii ſimillimam admiratus Legatus, ſuaviſſimas præ lætitia lachrymas non tenuit. Jam verò quanto fuerunt illi gaudio delibuti, quibus Gallicum nomen & Catholicum cordi erat? Cum puerum illum aſpicerent nuper vel uno Condæi nomine Romanæ Sedi formidandum, nunc eidem Sedi Romanæ in ejus Miniſtro, Legatoque Summi Pontificis, obſequium, inſtar amantiſſimi filii, deferentem, idque totius Galliæ nomine cujus actor & interpres erat? Hoc igitur quaſi vinculum fuit illius arctiſſimi ſanctiſſimique fœderis, quod Regnum Chriſtianiſſimum & ſuperis acceptiſſimum, cum Eccleſia renovavit. Ita Sacerdotium & Imperium jamdudum diſſociata divulſaque, feliciſſimè conſociata ſunt; & Gallia, quæ, ut Hieronymi verbo utar, ſe Calvinianam præter opinionem ac voluntatem eſſe mirata erat, jam ſe Catholicam omninò eſſe gratulata eſt. Quem porrò tanti operis ſequeſtrem habuit? quem obſidem ac fidejuſſorem? puerum Principem, Henricum Condæum. Ipſe Dei Spiritus, qui, ut ſacræ litteræ loquuntur, *linguas infantium diſertas facit*, quid Gallia ſentiret, Condæi lingua explicuit, cum ille mira quadam venuſtate & facundia Legatum allo-

mission? Le Legat en pleura de joye, & l'admira comme un prodige. Mais de quelle consolation ceux qui avoient le cœur François & le cœur Chrétien ne furent-ils pas pénétrez, voyant cet enfant, que le seul nom de Condé avoit rendu peu auparavant redoutable au Saint Siege, rendre lui-même au Saint Siege dans la personne de son Ministre, le devoir de l'obéïssance filiale, & le rendre au nom de la France, dont il étoit l'organe & l'interprete! Ce fut-là CHRESTIENS*, comme le sceau de l'alliance étroite & sacrée que ce Royaume cheri de Dieu renouvella pour lors avec l'Eglise. Le Sacerdoce & l'Empire divisez depuis si longtems, furent par là heureusement réünis; & la France, qui, pour user du terme de Saint Jerôme, avoit été comme effrayée de se voir malgré elle Calviniste, se retrouva parfaitement Catholique. Qui fut le lien, le garant, le répondant de tout cela? Le jeune Prince de Condé. L'Esprit de Dieu, qui, selon la parole sainte, rend éloquentes les langues des enfans, exprima tout cela par la sienne dans le discours surprenant qu'il fit au Legat. Le Ciel & la Terre y applaudirent, & l'hérésie seule en demeura confuse. Je ne me suis donc pas trompé quand j'ai dit que Dieu l'avoit fait naître pour le rétablissement de la vraye Religion.*

quæreretur. Festo plausu ejus orationem Superi pariter atque homines prosecuti sunt: audiit Hæresis; doluit una, omnibus gaudio triumphantibus, & ingemuit. Videtis igitur quàm non temere initio prædicaverim, hunc ad Religionem veram postliminio revocandam Divino consilio natum esse.

Quem verò ad opus tantum Deus aptiorem eligeret? quem instructiorem summis dotibus omnibus, quæ ad rem tantam conficiendam desiderari poterant? in eo perspicax ingenium, & cum cæteris in rebus, tum verò in Religionis causa sagacissimum, & veri dignoscendi scientissimum. Erat animus æqui & recti tenax, ab contemptu Religionis & vitiorum corruptela non minùs quàm à superstitione disjunctus. Has illi nimirum dotes Deus inseverat, cum eum, ut ita dicam, secerneret ad ejusmodi opus cui eundem destinarat. Repetite animo CHRISTIANI AUDITORES, atrocissimum illud ac luctuosissimum tempus, cujus ad mentionem meritò ingemiscimus, quodque Paulus divini Spiritus afflatu futura prospiciens, significasse videbatur, cum Hæresis adversata Deo *attollebat se supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur;* Christi Sacramentum dico, quod è medio tollere Calviniana Hæresis nitebatur. Erant, inquam, iis temporibus, etsi perditissimis, docti ho-



Mais pouvoit-il choisir un sujet plus propre, & qui eût avec plus d'avantage tout ce qui étoit necessaire pour ce grand dessein ? C'étoit un esprit éclairé, & en matiere de Religion aussi-bien qu'en toute autre chose, du discernement le plus juste & le plus exquis qui fut jamais. Il avoit l'ame droite, & également incapable de libertinage & de superstition. Qualitez, que Dieu lui donna, quand il le separa, si je l'ose ainsi dire, pour l'œuvre à laquelle il le destinoit. Prenez garde, s'il vous plaît, CHRESTIENS: *dans ce tems malheureux que nous déplorons, & que * Saint Paul, par un esprit Prophetique, sembloit nous avoir marqué où l'Hérésie s'opposant à Dieu, s'éleva au-dessus de tout ce qui est appellé Dieu, & adoré comme Dieu; j'entens le Sacrement de* JESUS-CHRIST, *que l'erreur de Calvin anéantissoit : en ce tems, dis-je, quoique déplorable: il y avoit dans le monde des sçavans, mais c'étoit sçavans superbes, pleins de cette science réprouvée, qui enfle:*

* 2. Thessal. 2.

mines illi quidem, at superbi & eruditi funesta illa *scientia quæ inflat* & corrumpit: erant alii quidam humiles in fide, at iidem imperiti, quibus columbæ simplicitas satis erat, cùm essent ipsi prudentia serpentis Evangelica penitus destituti. Illi Religionem adorti, bellum aris nefarium indixerant; hi ad resistendum pares non fuerant: inde Religionis labes, inde pernicies rei Catholicæ. Quæ, ut sarciri posset, hominibus egebat perspicacibus & piè humilibus; quorum Christiana humilitas foret *secundùm scientiam*, quorum scientiam humilitas sancta veluti consecraret: qui dociles quidem essent, at sagaces tamen & acuti, ut *omnia judicarent*; rursum, ita essent solertes & periti, ut dociles nihilominus forent, ne vitiosum ullius rei fastidium ac offensionem susciperent. Talis Henricus omnino fuit.

Religionem Catholicam ut probè cognitam exploratamque haberet, diligenter studuit: quod in viris primoribus adeo inusitatum est: neque Princeps alius quisquam Catholicam fidem secutus est, qui aut perspexisset ejus bonitatem accuratiùs, aut quid crederet, quidve credendum sibi foret, persuasum magis ac certum teneret. Est hæc hominum qui versantur in sæculi pravitate labes, ut aut voluptatibus dediti sint, aut laborent impietate. Dico irretitos suis cupiditatibus, præfractè damnantes quæcum-

& qui corrompt. Il y avoit des humbles dans la Foi, mais c'étoit des humbles ignorans contens de la simplicité de la Colombe, & absolument dépourvûs de la prudence Evangelique du serpent. Les premiers avoient attaqué la Religion, & les seconds s'étoient trouvez trop foibles pour la soutenir : voilà ce qui l'avoit perduë. Il falloit pour la relever, des humbles clairvoyans & pénétrans, dont l'humilité fût selon la science, & dont la science fût sanctifiée par l'humilité ; des hommes dociles, mais pourtant spirituels, pour juger de tout ; des spirituels, mais pourtant dociles, pour ne se révolter sur rien : & ce fut-là proprement le caractere du Prince de Condé.

Il étudia sa Religion, chose si rare dans les Grands du monde ; & jamais Prince ne fut Catholique, ni avec tant de connoissance de cause, ni avec tant de conviction de ce qu'il croyoit, & de ce qu'il devoit croire. Au lieu que les hommes mondains sont communément, où sensuels, ou impies ; sensuels, occupez de leurs passions, condamnant avec temerité tout ce qu'ils ignorent, & affectant d'ignorer tout ce qui les condamne, impies n'étudiant les choses de Dieu que pour les censurer, & ne les censurant, que

que ignorant, ignorantesque ea omnia consulto quibus eorum flagitia condemnantur; dico impios, qui res divinas idcircò tantùm nosse gestiant, ut eas malignè carpant, & eam ob rem carpere studeant, ne quis eos, si fieri possit, injectus à Religione timor perturbet. Utrumque hunc scopulum HENRICUS effugit. Religionem, ad quam à Deo vocatus erat, cognoscere diligenter voluit, quod sapientem & Christianum hominem decebat; sed ea tantùm de causa cognoscere, ut ei se subjiceret, eique se subjicere, ut ad ejus leges vitam moresque componeret. Illam ita perspectam, ac tanta in luce cognitam habuit, ut quemadmodum Petrus postulat, *Paratus semper* esset *ad reddendam* ejus *rationem*, & explicandam vim earum causarum quibus ad sectandam veritatem adductus fuerat, cùm dissidentes, in quas nomen scinditur Christianum, sectas inter se compararet. Ita quippe dictitabat, id sibi providendum esse quemadmodum Deo, hominibus, sibi demum ipsi satisfaceret, si causa reposceretur, quare insigni numinis beneficio, erroris partibus desertis, ad veritatem se adjunxisset. Hoc ingenio præditus, hac rerum divinarum intelligentia Princeps nonne ad revocandum pristinum Religionis splendorem natus esse meritò videbatur?

pour éviter, s'ils pouvoient, d'en être troublez : le Prince de Condé exempt de ces deux desordres, voulut s'instruire en sage & en Chrétien, de la Religion à laquelle Dieu l'avoit appellé ; mais il ne voulut s'en instruire que pour s'y soûmettre, & il ne voulut s'y soûmettre que pour la pratiquer. Il la posseda avec cette pureté de lumieres que demandoit Saint Pierre, toûjours prêt à en rendre raison, & toûjours disposé à faire valoir les motifs qui l'avoient touché dans la comparaison des societez qui partagent le Christianisme ; s'estimant, disoit-il, responsable & à Dieu & aux hommes, & à soi-même, de la grace qu'il avoit reçûë, en quittant le parti de l'erreur, & s'attachant à celui de la verité. Un Prince éclairé de la sorte n'étoit-il pas né pour faire refleurir la vraye Religion ?

Adde animi æquitatem illam & constantiam qua Religionem professus est: rectum, inquam, illum animi tenorem quem nulla deterioris exempli vis & illecebra inflexit; ex quo manabat illa in colendo numine libertas sanctissima, ille ardor pietatis nullo simulationis fuco, nulla superstitione vitiatus. Hoc vobis aliquo argumento & signo probari vultis? In promptu est; audite, & imitamini. Putavit homo apprime Catholicus illud sibi colendum, & præcipuo quodam in honore palam habendum, quodcunque Hæresis nefariè contumax repudiandum sibi ac labefactandum credidisset: seque iisdem admonitum vocibus existimans, quibus Clodoveum divinus antistes, à quo sacris Baptismi aquis abluebatur, olim compellabat, *Adora quod incendisti*, induxit animum in iis maximè rebus Religionem suam profiteri ac præ se ferre, in quibus eam Hæresis maximè oppugnaverat. Sinite ut singula delibem brevi, quæ cum vestra erunt, ut opinor, aliqua pietatis utilitate conjuncta.

Hoc inter cetera Hæresis cupidè ac pertinaciter fecerat, ut abalienaret se ab Ecclesia Romana, odioque capitali ab ea dissideret; hoc ille præcipua suæ pietatis & Religionis parte posuit, ut eidem Romanæ Ecclesiæ amorem & cultum impertiret. Callebat quidquid super ea re vel hominum

Ajoûtez-y ce cœur droit avec lequl il la professa ; ce cœur droit que le monde n'ébranla jamais , & qui lui inspirant pour Dieu une sainte liberté dans l'exercice de son culte , sans être ni hypocrite ni superstitieux , en fit un Catholique fervent. Vous m'en demandez une marque ? Concevez celle-ci , & imitez-là. Il se crut obligé , comme Catholique , à avoir & à témoigner une vénération particuliere pour tout ce qui avoit servi de sujet de contradiction à l'Hérésie ; & s'appliquant l'instruction faite au grand Clovis dans la cérémonie de son Batême , Adora quod incendisti , Adorez ce que vous avez brûlé , *il prit pour maxime de signaler sa Religion , particulierement dans les choses où l'Hérésie l'avoit combattuë. Souffrez-en le detail , qui n'aura rien pour vous que d'édifiant.*

L'aversion & la haine du Saint Siege avoit été l'un des entêtemens de l'Hérésie : l'une de ses dévotions , fut d'aimer le Saint Siege , & de l'honorer. Il sçavoit sur cela tout ce que la critique & tout ce que la politique lui pouvoient apprendre , & il en auroit fait aux autres des leçons. Mais il

doctissimorum controversiis agitatur, vel ab administrandæ reipublicæ peritis traditur: ipse controversiarum ejusmodi judex ac magister sedere potuisset. Idem tamen perinde noverat continere se intra certos limites, quos ipsi vera pietas definiebat. Quod quàm tutò fiat, cùm præclarè intelligeret, hanc non minùs solidam, quàm Christianis accommodatam institutis politicæ prudentiæ regulam sibi ipse præstituit, ut Petri Cathedræ, quæ centrum est unitatis, obstrictus, ac peculiari devotione mancipatus esset, id quod sanctissimi quique cœlestis in mortales beneficentiæ fontem uberrimum semper esse duxerunt. Quàm non obscura hujus obsequii sui atque animi, dum viveret, argumenta dedit? Quibus verbis, quàm incenso studio illud idem liberis suis moriens commendavit! Hanc ipsis hæreditatem sacram reliquit, atque in supremis illis mandatis suis eos obtestatus est Parens optimus, ut in ea re se imitarentur, quemadmodum ipse tot heroas Christianos imitatus esset. Sanctissimas Ecclesiæ cærimonias Hæresis despexerat: satis hoc Henrico fuit, ut easdem suspiceret, ac religiosissimè servaret. Quoties publicis precibus ac rei divinæ interesse visus est eadem qua Propheta Regius pietate & religione succensus, plebi facem exemplo suo præsentiaque, ut ille olim, præferens, neque

ne sçavoit pas moins se tenir dans les justes bornes que lui prescrivoit sur ce point la vraie pieté : & persuadé de la seûreté de cette regle, il se fit une politique aussi solide que Chrêtienne d'avoir pour la Chaire de Saint Pierre, qui est le centre de l'unité, cet attachement inviolable que les Saints ont toûjours regardé comme une source de benediction. Quels exemples n'en donna-t-il pas pendant sa vie, & avec quels sentimens de ferveur le recommanda-t-il à la mort aux Princes ses enfans : C'est l'heritage sacré qu'il leur laissa ; & l'une de ses dernieres volontez fut de les conjurer avec tendresse, d'être en ceci ses imitateurs, comme il l'avoit été lui-même de tant de Heros Chrêtiens. L'Hérésie avoit méprisé les cérémonies de l'Eglise : il ne lui en fallut pas davantage, pour se faire un devoir de les réverer. Combien de fois l'a-t-on vû assister aux Divins Offices avec ce même esprit de Religion qui animoit autrefois David, édifiant & excitant comme lui les Peuples par sa presence, n'estimant point, non plus que lui, au-dessous de sa dignité de se joindre aux Ministres du Seigneur, pour glorifier avec eux d'une voix commune l'Arche vivante du Testament, & devenant par-là comme David un Prince selon le cœur de Dieu ?

alienum à sua dignitate ratus, adjungere se sacris Ministris, suamque vocem eorum vocibus ad Arcam Testamenti vivam conjunctis laudibus efferendam, sociare, seque ita Principem *secundùm cor Dei*, non secus ac David, exhibere?

Nihil Hæresis pejus oderat quàm Religiosos Ordines: eam ipsam ob causam illos in honore habuit, benevolentia sua patrocinioque cohonestavit. Quia verò in Religiosis Ordinibus unum aliquem esse animadvertebat addictum præ ceteris Religioni veræ tutandæ atque ornandæ, qui gravioribus proinde Religionis hostium telis, obtrectationi & malevolentiæ, objectus esset; Ordinem cujus reipsa laboribus propagatam, Deo favente, fidem ad extremas usque orbis terrarum oras videbat; quem ea re tantùm sciebat institutum, ut in eo vel tum nascente remedium contra pestiferam Calviniani ac Lutherani Schismatis recens emersi luem comparatum esset; quem ibi, ubi regnaret Hæresis, vexari graviter, & felici quodam ipsius fato, conflictari deprehendebat: Hunc majore quodam studio Condæus complexus est, hunc tueri præsertim ac tegere instititi, huic quod erat sibi carissimum concredidit, huic animi sui arcana fidentiùs & penitius aperuit, hujus denique in manibus ac sinu Cor suum ipse moriens deposuit.

Rien n'étoit plus odieux à l'Héréſie, que les Ordres Religieux : pour cela même il les reſpecta, il les cherit, il les protegea. Et parce qu'entre les Ordres Religieux il en conſidera un plus ſingulierement dévoüé à porter les interêts de la vraye Religion, & par une conſequence néceſſaire plus infailliblement exposé à la malignité & à la cenſure des ennemis de la Foi ; un Ordre, dont il vit qu'en effet Dieu s'étoit ſervi pour répandre cette Foi juſqu'aux extrêmitez de la terre ; un Ordre qu'il reconnut n'avoir été inſtitué, que pour ſervir dès ſon berceau de contre-poiſon au Schiſme naiſſant de Calvin & de Luther ; un Ordre qu'il enviſagea, par une fatalité heureuſe pour lui, perſecuté dans tous les lieux où dominoit l'Héréſie : c'eſt à celui-là que le Prince de Condé s'unit plus intimement, qu'il fit ſentir plus d'effets de ſa protection, qu'il confia ce qu'il avoit de-plus cher, qu'il découvrit plus à fond les ſecrets de ſon ame, & en mourant qu'il donna ſon Cœur.

Hoc illud fuit, jam enim vos appello qui adestis, PATRES, neque verò fas est (cùm hic non meo magis quàm vestro omnium loquar nomine,) quas debemus huic optimi & Societatis nostræ amantissimi Principis Cordi gratias non aliqua saltem ex parte persolvere: hoc illud, inquam, fuit, cur nos HENRICUS aliquo apud se loco & numero esse vellet. Nos verò infelices si nobis excidere vitio nostro ac præripi ea patimur, quibus benevolentiam tanti Principis & existimationem consecuti sumus. Quemadmodum aliud nihil in fovendis tutandisque nobis præter amplitudinem Religionis dignitatemque spectabat; ita idcircò tantùm majori apud illum in gratia & pretio fuimus, quod obligatos peculiari nexu ad omnia Religionis ergo & suscipienda & perferenda existimavit: neque aliam ob rem caros duxit, quàm quod sic affectos esse judicavit, pulchrum ut nobis & certum foret, vitam pro Ecclesia Dei millies ac sanguinem profundere. Susceptæ à nobis pro fide apud Barbaros & Infideles promovenda dimicationes, tot excepti labores in utroque orbe, tot pericula, tot cruces, ita enim ipse dictitabat, hoc illi nos commendavit. Nostrum est igitur dare operam, ut quales nos ipse sibi animo effinxerat, tales reipsa simus; quas ipse partes nostras, quæ munia putabat esse, his per-

C'est par là, MES PERES, car encore est-il raisonnable que parlant ici pour vous & pour moi, je rende à ce Cœur une partie de la reconnoissance que nous lui devons; c'est par là; MES PERES, que nous eûmes part à sa bienveillance; & malheur à nous, si nous dégénérons jamais de ce qui nous l'attira! Comme son amour pour la Religion en étoit le seul motif, il ne nous distingua entre les autres que par l'engagement particulier où il supposa que nous étions de tout entreprendre & de tout souffrir pour l'avancement de la Religion Catholique; & nous ne lui fûmes chers, que parce qu'ils nous crut des hommes déterminez à sacrifier mille fois nos vies pour l'Eglise de Dieu. Nos combats pour la Foi dans les païs barbares & infidelles; nos travaux, nos croix, nos souffrances dans l'ancien monde & dans le nouveau, ainsi lui-même s'en expliquoit-il: voilà ce qui nous l'attacha. C'est donc à nous de remplir l'idée qu'il eut de nos personnes & de nos ministeres. Ma consolation est que ce zele de la Foi ne nous a pas encore quittez, & que l'esprit même du martyre ne s'est pas retiré de nous. Ces glorieux Confesseurs que l'Angleterre vient de donner à JESUS-CHRIST, le sang de nos freres immolez comme des victimes à la haine de l'infidelité, en sont encore les précieux restes. A ce prix nous

fungi omni ope adnitamur. Ceterùm hæc me consolatio sustentat, quod ardor ille pristinus animorum, quo ad proferendam fidem eramus inflammati, nondum refrixit, quod illa ipsa subeundi martyrii præclara cupiditas nondum relanguit. Illi, illi quos è nostro non ita pridem agmine, testatæ in ipsa morte fidei laurea insignes, Anglia Christo dedit; ille fratrum nostrorum sanguis, quos cæcus hæreseos furor tanquam victimas odio suo destinatas immolavit, dulces adhuc hujus ardoris reliquiæ & pignora sunt. Hac mercede Condæo nunc quoque placeremus: non leviori pretio ejus benevolentia promerenda fuerat. Neque est alius nobis ad excitandos avitæ studio virtutis animos stimulus vehementior, quàm ut nos tanti Principis judicio & benevolentia ne nunc quidem indignos esse comprobemus.

Sed ad illum redeat oratio. Dixi hactenus, idque satis videor ostendisse, hunc à Deo electum, & Galliæ donatum fuisse, ut veram Religionem pristinum in gradum reponeret. Jam videndum altera parte orationis est, quonam pacto Dei consiliis ac destinationi responderit, qua contentione corporis animique, vitam omnem in eadem tuenda Religione collocarit.

QUEMADMODUM Religionis veræ um id è multis proprium semper fuit,

possederions encore aujourd'hui & le Cœur & les bonnes graces du Prince de Condé. Il ne falloit rien moins pour en être dignes ; & la vûë de continuer à nous en rendre dignes, est l'une des considerations plus propres à exciter en nous le souvenir de nos obligations.

Mais revenons à lui. Je vous ai dit, & je l'ai prouvé que Dieu l'avoit choisi & l'avoit fait naître pour le rétablissement de la vraye Religion. Voyons de quelle maniere il répondit à ce choix, & avec quel zele il combatit toute sa vie pour la défense de cette même Religion. C'est le sujet de mon second Point.

COMME l'un des caracteres de la vraye Religion à toûjours été d'autoriser les

ut sua constare viris Principibus jura dignitatemque vellet : ita semper ex omnibus officiis Principum ac muneribus unum longè sanctissimum extitit atque gravissimum, quod iis vel ipsa mutuæ pietatis & grati animi lex imposuit, ut veram Religionem omni ope tuerentur ac defenderent. Hic ordo rerum, inquit Augustinus, à Deo descriptus est. Nati sunt Principes tutandæ Religioni; ut Religio ipsa, teste Paulo, Principum inviolata tutela & murus inexpugnabilis est. Nunquam verò tam altè cuisquam animo insitum hoc & infixum fuit quàm ejus Principis, cujus egregia virtus à nobis hodie celebratur : neque alius quisquam in hanc laudem & istas virorum Principum partes obeundas fortiùs ac illustriùs incubuit : siquidem idcircò vixisse dumtaxat videtur, ut per eum Religio Catholica triumpharet; hoc est, ut Hæresim oppugnaret, ut ejus everteret consilia, perduellionem domaret, refelleret errores, denique ut variis, quas de illa retulit, victoriis præclarum illud quod ei per me tribuitur nomen, acerrimi nostra memoria Religionis Catholicæ defensoris, jure sibi ac meritò commoraret. Audite, quæso, & germanam istius eximiæ laudis imaginem animis informate.

HENRICUS Princeps Condæus, unus omnium qui ad Regium consilium adhibiti

Princes de la Terre ; aussi par un retour de pieté que la reconnoissance même sembloit exiger, l'un des devoirs essentiels des Princes de la Terre a toûjours été de maintenir & de défendre la vraye Religion. Voilà, dit S. Augustin, l'ordre que Dieu a établi. Les Princes sont les protecteurs nez de la Religion, comme la Religion, selon S Paul, est la sauvegarde inviolable des Princes. Or jamais homme n'a mieux compris cette verité, & s'est aquité plus dignement ni plus héroïquement de ce devoir, que le Prince dont je poursuis l'Eloge, puis qu'il semble n'avoir vécu que pour faire triompher la Religion Catholique ; c'est-à-dire, que pour combattre l'Hérésie, que pour renverser ses desseins, que pour dompter sa rebellion, que pour confondre ses erreurs, & par les differentes victoires qu'il a remportées sur elle s'acquerir le juste titre que je lui donne du plus zélé défenseur qu'ait eû la Religion Catholique dans nôtre siecle. Ecoutez-moi, & conçevez-en bien l'idée.

HENRI *Prince de Condé fut sans contestation l'un des plus sensez, & des plus*

aliquando sunt, facilè prudentissimus, & Reipublicæ administrandæ scientissimus fuit. Provinciæ quibus gubernandis à Rege præfectus fuerat, res maximæ quibus gerendis admotus, parem claritate generis auctoritatem inter suos illi conciliaverant. Ipse fortis ac strenuus, & ubi virum bella poscebant, avitæ fortitudinis non minùs hæres quàm nominis. Ad hæc, supra quàm Principis conditio sorsque ferret, excultus præclaris artibus & litteris: laudem ab illis non vulgarem habiturus, si se totum iis dedidisset. Sed istas dotes egregias non alios in usus conferri à se vel posse vel debere, quàm ad asserendam Dei Religionisque causam, existimavit; longéque aliam à ceteris ut plurimùm Principibus mentem induit, qui quamvis Christiani sint, ita inducunt animum tamen, ac sibi profana quadam & perversa ratione persuaderi patiuntur, ut Religionem amplitudini suæ ac fortunis servire velint. Ipse contra, dignitatem suam & eximias, quibus divino beneficio præditus erat, dotes, amplificandæ Religioni servire jussit. Magna mihi & præclara suppetunt, quibus hoc doceam, argumenta: cognoscite.

Catholicam Religionem tutatus est primùm consilio, deinde armis & manu, postremò eruditione ac doctrina. Viri politica scientia præstantissimi, fortissimi Im-

sages politiques qui entra jamais dans le Conseil de nos Rois. Ses Gouvernemens, & ses emplois lui donnerent dans le Royaume une autorité proportionnée à sa naissance. Il étoit brave, & dans les entreprises militaires héritier de la valeur de ses Ancêtres aussi-bien que de leur nom. Il avoit au dessus de sa condition une capacité acquise, qui dans la profession même des Lettres l'auroit distingué. Mais il ne crut pas, ni pouvoir, ni devoir user d'aucun de ces avantages, sinon pour l'interêt de Dieu; & loin des maximes profanes, dont la plûpart des Princes, quoique Chrétiens, se laissent malheureusement prévenir en faisant servir la Religion à leur grandeur, il se proposa de faire servir sa grandeur & toutes les éminentes qualitez dont Dieu l'avoit pourvû, à l'accroissement de sa Religion. En voulez-vous la preuve? La voici.

Il défendit la Religion Catholique par la sagesse de ses conseils, par la force de ses armes, & par la solidité de sa doctrine. Il la défendit en homme d'Estat, en Gene-

peratoris, Magistri denique ac doctoris, qui hoc ipsum quod habebat persuasum, persuaderet aliis, personam in Religione propugnanda sustinuit; atque ita laudem hanc promeritus est, quam illi pro maximis ejus in se beneficiis Ecclesia nunc rependit. Hic verò vos dicenti mihi favere decet, AUDITORES, si eodem estis incensi studio, quo priscos illos Israëlitas eximia sua pietas ac tuendæ Religionis ardor inflammabat.

Catholicam Religionem HENRICUS sapientia primùm sua consiliisque propugnavit. Novit Gallia quanti apud Ludovicum XIII. ponderis ejus auctoritas consiliumque fuerit, cum illum induxit, ut celeberrimum illud bellum susciperet, quo Hæresis repressa parêre tandem ac servire didicit. Absit, ego ut hoc loco facere convicium iis velim, quos nec erroris nec schismatis nomen impedit quo minùs in fratrum loco diligam, & quorum pro salute, quomodò sentiebat Paulus, anathema esse non recusem. Deum arcani pectoris conscium testor, quàm ea defugiam omnia, quæ audire possent ægriùs: ac malè mihi sit, si quid unquam in obeundo meo sacri oratoris munere dixerim, afflatus alio Spiritu, quam quo me adversus illos esse decet, lenitatis nimirum & caritatis! Verum ipsius causæ ac veritatis prævaricatorem

ral d'armée, en docteur & en maître, persuadant aussi-bien que persuadé; & par là il mérita le témoignage que lui rend aujourd'hui l'Eglise, en reconnoissant ce qu'il a fait pour elle, & ce qu'elle lui doit. Si vous avez ce zele de Dieu, dont les fervens Israëlites étoient autrefois émûs, c'est ici où vôtre attention me doit être favorable.

Il défendit la Religion Catholique par la sagesse de ses conseils. On sçait de quel poids fut celui qu'il donna à LOUIS XIII. *quand il le détermina à cette fameuse Guerre qui réprima l'Hérésie, & qui la réduisit enfin à l'obéïssance & à la soûmission. A Dieu ne plaise, que j'aye la pensée de faire ici aucun reproche à ceux que l'erreur ni le schisme ne m'empêchent point de regarder comme mes freres, & pour le salut desquels je voudrois, au sens de Saint Paul, être moi-même anathême! Dieu témoin de mes intentions, sçait combien je suis éloigné de ce qui les pourroit aigrir: & malheur à moi, si un autre esprit que celui de la douceur & de la charité pour leur personne se mêloit jamais dans ce qui est de mon ministere! Mais je me croirois prévaricateur & de la verité & de mon sujet, si je supprimois ce qui va vous faire connoître le*

genie de nôtre Prince, & dont il ne tiendra qu'à eux de s'édifier.

L'Assemblée de la Rochelle, je dis celle de 1621. si mémorable & si funeste dans ses suites pour le parti Protestant, avoit été une espece d'attentat (eux-mêmes n'en disconviennent pas) que nul prétexte de Religion ne pouvoit justifier ni soûtenir. Assemblée, non seulement schismatique, mais séditieuse, puisque malgré l'ordre, & contre la défense du Souverain, elle avoit été convoquée, & qu'au mépris de l'autorité Royale on y avoit pris des résolutions dont la France aussi bien que l'Eglise devoit craindre les derniers maux. Que fit le Prince de Condé? Animé d'une juste indignation, il se mit en devoir de les prévenir, & éclairé de cette haute prudence, qui lui donna toûjours dans les affaires une superiorité de raison à laquelle rien ne resistoit, il en vint heureusement à bout.

Il representa dans le Conseil du Roi (& ceci est la verité pure de ses sentimens, ausquels je n'ajoûterai rien) il representa dans le Conseil du Roi, que cette aßemblée étoit

arripi occasionem posse ad exarmandam Hæresim, ad eandem non solùm deturbandam ex illo fatali suo asylo Rupellano, verùm etiam ex omnibus oppidis, ubi tutò illam & impunè consistere, ægra tum & imbecilla regni gubernatio passa erat, unde ipsam tamen depelli tanti reipublicæ intererat. Exposuit, idque acriter & summa dicendi contentione, quantam apud omnes invidiam & offensionem haberent hæc oppida subjectis concessa: si essent illi, quibus ea tribuebantur, in officio & fide, hæc ipsis neque optanda esse, neque necessaria; si non essent, ipsis sine flagitio concedi non posse: quod si fides eorum & animus in dubium veniret, istas urbes ad securitatem munitas & perfugium, certè idoneas esse ad animos illorum tentandos, & in deteriorem partem abducendos, quo ipsos periculo ac tentatione liberari oporteret; esse obices & impedimenta, quo minùs reciperent se ad Catholicorum signa, quos obices amoveri præstaret, uti Christiana caritas admonebat. Abhorrere à pietate Regis omnium Christianissimi, ut esse in Imperio sineret eas urbes, quarum securitatem duntaxat ad errorem fovendum quæsitam esse constaret, in quibus regnaret Religio nova, vetus serviret: abhorrere etiam ab illius dignitate, ut media in Gallia viserentur arces tanquam totidem rerum publica-

une occasion avantageuse dont il falloit profiter pour desarmer l'Héréſie , en lui ôtant non ſeulement l'azile fatal qu'elle avoit tant de fois trouvé dans la Rochelle , mais abſolument toutes les Places de ſeureté que la foibleſſe du Gouvernement lui avoit juſqu'alors ſouffertes , & dont on voyoit les pernicieuſes conſequences. Il remontra , mais avec force , que les Places ainſi accordées à des Sujets , étoient le ſcandale de l'Eſtat ; que ſi ceux qui les occupoient , étoient des Sujets fidelles , ils ne devoient ni les deſirer ni en avoir beſoin ; s'ils ne l'étoient pas , qu'on ne pouvoit ſans crime les leur confier ; que dans le doute , ces villes de ſûreté & de rettraitte leur étoient au moins des tentations dont il falloit les preſerver , des obſtacles à leur converſion qu'il étoit bon , & même de la charité Chrétienne , de leur lever ; qu'il ne convenoit point à la pieté du plus Chrétien de tous les Rois de tolerer dans ſon Royaume des Places , dont on ſçavoit bien que la prétenduë ſûreté étoit toute pour l'Erreur , & où tandis que la nouvelle Religion joüiſſoit d'une pleine liberté , l'ancienne & la vraye étoit dans la ſervitude ; qu'il ne convenoit pas non plus à ſa dignité , de voir au milieu de la France des fortereſſes comme autant de ſemences de républiques , un peuple diſtingué , des chefs de parti ; qu'il falloit finir tout cela , remettant dans la dépen-

rum ſeminaria, ubi ſecretus populus, partium duces: finem his omnibus imponendum: ad regiam poteſtatem ac Imperium eſſe reducenda quæ illi per Hæreſim ſolùm ſubducta fuerant: viverent ſubjecti ſuo Principi, qui ſubjecti nati forent: ſi Rex unus ac Dominus foret, brevi quod Evangelica vox docebat, paſtorem unum & gregem futurum; ſi unius dominatio, unam fore brevi Religionem & fidem.

Ita HENRICUS diſſeruit: hoc ille pro ſua eloquentia, quam tuendæ Religionis ardor inflammabat, docere liberè ac vehementer inſtitit. Erat plena res periculi, ſed audendum neceſſariò eſſe demonſtravit: plena difficultatis; ejus conficiendæ vias aperuit: anceps eadem & ardua; ejus eventum præſtitit. Erant ex iis, quos ad Conſilium Rex adhibuerat, nonnulli timidiores, quibus ea ſententia non placebat: fuerunt fortaſſe aliqui ſegnes ac remiſſi; atque utinam nulli fuerint ad reclamandum & diſſentiendum appoſiti corruptique. Sed habenda magna præpotenti Deo gratia, qui Conſilio Regum præſidet, quique per Condæum effecit ut id in eo tum conſilio decerneretur, quod audebat nemo, quod differre nefas tamen erat. Quamvis plena res aleæ, plena difficultatis ac metus foret; vicit Condæus, perſuaſit. Decretum eſt in Hæreticos bellum, recepta ex illis op-

dance ce que l'Hérésie seule en avoit soustrait, & obligeant à vivre en sujets ceux qui étoient nez sujets; que quand il n'y auroit plus qu'un maître, bien-tôt il n'y auroit plus, selon l'Evangile, qu'un Pasteur & un troupeau, & que l'unité de la Monarchie produiroit infailliblement l'unité de la Religion.

Voilà ce qu'il representa, & sur quoi son zele éloquent dans la cause de Dieu insista & se déclara. La chose étoit perilleuse, il en fit voir la necessité; difficile, il en fournit les moyens; hardie, il en garantit le succès. Il y avoit dans le Conseil des ames timides, qui ne goûtoient pas cet avis; peut-être y en eut-il de lâches; & Dieu veüille qu'il n'y en eût point de corrompuës pour appuyer l'avis contraire. Mais beni soit le Seigneur, qui préside au Conseil des Rois, & qui se servit du Prince de Condé, pour faire conclure dans celui-ci ce que l'on n'osoit entreprendre, & qu'il étoit néanmoins tems d'exécuter! Malgré la risque de l'entreprise, le Prince de Condé l'emporta. On se rendit à ses raisons. La guerre contre les Hérétiques fut résoluë, les places reprises sur eux, leurs forteresses démolies, leurs troupes dissipées, leur parti ruiné: & c'est à la sagesse de ce conseil, que la Rochelle & toutes

pida, eorum arces disjectæ, dissipatæ copiæ, afflictæ partes & eversæ. Huic sapientissimo consilio, ex quo tanquam capite & fonte omnia fluxerunt, Rupella ceteræque Protestantium urbes acceptum referre debent, quod reductæ tandem ab obsequium, hoc est, quod salvæ sint ac beatæ. Atque ex hoc uno facto, (quam multa verò ejusmodi proferre possem!) videre licet, quantùm Religio vera HENRICI consiliis & politicæ sapientiæ debeat.

Quantum verò ejus bellicæ fortitudini debet? De illa mihi dicendum hic non putarem, nisi ejus arma quæ semper Religioni servierunt, ejusdem fuissent Religionis defensione sancta & quasi consecrata: utque ingenuè fatear quod sentio, nullum hoc in suggestu, intra sacros hujusce templi parietes, nullum, inquam, iis belli expeditionibus celebrandis locum putarem esse posse, in quibus nullus Deo nec Religioni locus fuisset. Hæc laudando Christo cœlitibusque prædicandis addicta vox, profanis ejusmodi præconiis nondum assuevit, ac bellica facinora vel clarissima, ejus Principis qui fluxam tantùm & positam in hominum opinione gloriam sectatus esset, quamvis alias admirarer, ægrè hic tamen ac timidè celebrarem.

Nunc isto metu solutus sum. Si enim de Condæi præliis dicendum est; ea sunt ejus-

lem

les autres Villes Protestantes sont originairement redevables de leur réduction ; c'est-à-dire, de leur salut & de leur bonheur. Voilà dans un exemple particulier, (combien en produirois-je d'autres?) ce que la vraie Religion doit à la politique de nôtre Prince.

Mais que ne doit-elle pas à ses Armes? Je n'en parlerois pas, CHRESTIENS, *si ses armes, qui furent toûjours employées pour elle, n'avoient été sanctifiées & purifiées par elle ; & pour vous avoüer ingenuëment ma pensée, je ne me résoudrois jamais à faire valoir dans cette Chaire, & dans le lieu saint où je parle, des exploits de guerre où Dieu ni la Religion n'auroient nulle part. Ma langue consacrée à loüer* JESUS-CHRIST *& ses Saints n'est point encore accoûtumée à ces éloges profanes ; & les faits les plus heroïques d'un Prince qui n'auroit combattu que pour la gloire du monde, quoique je les admirasse ailleurs, m'embarasseroient ici.*

Mais je suis hors de cette inquiétude dans le sujet que je traite. Si je parle des

modi, quæ ſuam in ſacris paginis, ut in hac oratione mea, laudem & gratulationem invenirent: cum de illo idem atque de Davide., ac verius etiam prædicare poſſent., *Præliabatur prælia Domini.* Si de victoriis Condæi loquor; de illis loquor quas iidem ſancti codices ſacris meritò faſtis aſcribendas putarent, cum eas ille in Arca tutanda, in Iſraële ſervando retulerit. Si medio in ſacrificio laudes illarum perſequor; ea verò ipſius ſacrificii laus & gloria eſt, ad quod aſſerendum ac vindicandum reportatæ ſunt. Si ante aras loquor; idcircò loquor, quia excitandis, quæ jacebant aris profuerunt. Omittantur alia, per me licet, quæ ſunt à Condæo fortiter & præclarè geſta: nihil hæc ad me nunc arbitror ac volo pertinere. Valerent ea profectò apud alios oratores ad immenſam quamdam gloriæ militaris ſegetem colligendam, ego intra iſtos limites me contineo: Deo, Eccleſiæ pugnavit Condæus, ac vicit: illius fortitudo & bellica laus id eximium habuit, ut à Religione ſejungi non poſſet; id ejus Religio habuit ſingulare ac proprium, ut eſſet cum virtute ipſius ac fortitudine arctiſſimè conjuncta. Hoc mihi ad prædicandum ſat eſt.

Vulgò laborant oratores, quibus herois alicujus bellicæ res laudandæ ſunt ut adverſos qui obtigere caſus occultent; quotus autem quiſque eſt, qui bene rem ſemper

*combats du Prince de Condé, c'est de ces combats du Seigneur, dont l'Ecriture aussi-bien que moi le feliciteroit, puis qu'elle pourroit dire de lui, encore plus à la lettre que de David,** Præliabatur prælia Domini. *Si je parle de ses victoires; c'est de ces victoires qu'elle canoniseroit, puis qu'il ne les remporta que pour l'Arche d'Alliance & pour Israël. Si j'en parle au milieu du Sacrifice; c'est à l'honneur du Sacrifice même pour lequel elles furent gagnées. Si j'en parle en presence des autels; c'est parce qu'elles ont contribué à relever ces Autels abbatus: Oubliez, si vous voulez, tout ce qu'a fait hors de là le Prince de Condé; hors de là, je ne m'interesse point dans sa gloire: d'autres y en découvriroient des fonds admirables, mais pour moi je consens à me borner là. C'est pour Dieu & pour son Eglise qu'il a combattu & qu'il a vaincu; sa valeur n'ayant rien eû de plus singulier que d'être inseparable de sa Religion, & sa Religion n'ayant rien eu de plus éclatant que d'être inseparable de sa valeur: voilà ce qui me suffit.*

La peine de l'Orateur en loüant un guerrier, est de cacher les disgraces qui lui sont arrivées; car où est celui à qui il n'en arrive pas? & l'adresse de l'éloquence est de les

* 1. Reg. 25. 28.

gerat? Eos tegere ac dissimulare artis & eloquentiæ est. Ego verò qui ab adulatione longè absum, illud ultro confiteor à Condæo non unquàm haud ita prosperè pugnatum fuisse, modò id mihi concedatis, quod in controversiam vocari nequit, cum, quoties pro Religionis causa pugnavit, semper invictum extitisse. Aliàs bellorum offensionibus obnoxius; tunc & suæ virtutis conscientia, & certa divini præsidii spe, fidens ac securus fuit. Fortunam semper secundam expertus, cum hæresim aggressus est; atque, ut olim Constantinus, certus vincere, cum labarum Crucis præferebat, victricesque agebat turmas, ut illud Religionis Catholicæ signum ibi rursum figeret, unde illud hostes Religionis refixerant. In his porrò sanctioribus bellis ferè semper est versatus; hic in quo virtus ejus bellica quam Deus exercituum sibi veluti addixerat, excurreret, campus fuit. Nunc igitur si dixero illum in iis omnibus præliis, ubi cum hæretica factione conserendæ manus fuerunt, Regi operam sedulò navasse; adfuisse in celeberrimis obsidionibus, ad Montem-Pessulanum, Bergeracum, Clariacum, Fanum Sanctæ Fidei; signa contulisse cum rebellibus magna clade in insula Reaco profligatis; eosdem ab illo, cum exercitum suis auspiciis Imperator duceret, Aquitania, Delphinatu, agro Bituricensi, extermina-

dissimuler. Pour moi, qui ne sçais ni flater ni déguiser, je confesse que le Prince de Condé fut quelquefois malheureux pourvû que vous m'acordiez, ce qui ne lui peut être contesté, qu'en combatant pour la Religion il fut toûjours invincible. Exposé aux hazards dans les autres guerres, mais sûr de Dieu & de lui-même dans celles-ci. Jamais abandonné de la fortune, quand il attaqua l'Hérésie; & aussi-bien que Constantin déterminé à vaincre, quand il marchoit avec l'étendart de la Croix, & qu'il alloit replanter ce signe de nôtre Religion dans les lieux où ses ennemis l'avoient arraché. Or à peine eut-il d'autre emploi que celui-là, le Dieu des Armées l'ayant comme attaché à son service, & ces guerres saintes ayant fait presque uniquement l'occupation de sa valeur. Si je vous dis donc qu'il assista le Roi dans toutes les occasions célébres où il en fallut venir aux mains avec le parti Protestant; qu'il servit dans les sieges les plus fameux, de Montpellier, de Bergerac, de Clerac, de Sainte Foi; qu'il eut part à la défaite des Rebelles dans l'Isle de Riè, que lui-même de son chef, & en qualité de Général, les extermina dans la Guyenne, le Dauphiné & le Berri; que Sancerre qui avoit tenu dix-huit mois contre une armée Royale sous Charles IX. ne lui coûta que trois jours; que Lunel éprouva le même sort; qu'il força Pa-

tos; Sancerram, quæ regias copias sub Carolo IX. per decem & octo menses morata erat, non amplius quam spatio tridui ab HENRICO expugnatam; subactum eadem felicitate Lunellum; coactam vi Apamiam jugum accipere deditione ad victoris arbitrium facta; oblatas Summariis & Realmontio, æquiores conditiones; capta manu novem & viginti Occitaniæ oppida, & eà quidem munita, Castrensem tractum nequicquam resistere parantem, quid justà victoris ira posset, expertum; alios implorata clementia prudenter eam antevertisse: hæc, inquam, omnia si dixero, nemo me existimet ambitiosa rerum illustrium enumeratione facere fucum velle. Nihil affingo, nihil dico aliud quàm quod memoriæ litterisque proditum est; neque verò hæc, ut jam monui, proferrem, nisi Religio tot rerum gerendarum causa & nobile argumentum extitisset.

Qui laudare summos Duces instituunt magnopere satagunt, ut coacervandis victoriis auditorum perstringant oculos: ego illas quas propitio numine Condæus reportavit, exponere satis habui. Quæ si vos admiratione perculerunt, id sane ad illius, unde sunt profectæ honorem gloriamque pertineat; & verò per se ipsæ sunt admiabiles: sin verò animos vestros aliquo lætitiæ sensu permo verunt, hoc vestræ pie-

miers à reçevoir la loi du vainqueur, en se rendant à discretion; qu'il fit grace à Réalmont & à Sommieres, *les prenant par composition; que ving-neuf places, toutes de deffense, furent ses Conquêtes dans le Languedoc; que le païs de Castres résistant en vain, sentit les effets de sa juste colere; que les autres la prévenant, eurent recours à sa clemence: si je vous dis tout cela, ne coyez pas que je veüille vous imposer en faisant un pompeux dénombrement d'actions illustres & éclatantes. Je ne dis que ce que l'Histoire a publié; & je ne le dirois pas encore une fois si la Religion n'en avoit été le sujet & le motif.*

Quand on loüe les Heros & les Conquerans, on tâche d'éblouïr l'auditeur, entassant victoire sur victoire: & moi je ne fais qu'un simple recit de celles dont il plut au Ciel de benir les armes du Prince de Condé. Si elles vous ont causé de l'étonnement; gloire à celui qui en est l'auteur, c'est parce qu'elles sont étonnantes par elles-mêmes: & si vous en êtes touchez; grace à vôtre pieté, c'est parce qu'humiliant l'Hérésie, elles ont

tati adſcribite ; nempè fractam per eas & abjectam Hæreſim , Deum patrum veſtrorum & avita ſacra inſigni honore affecta meminiſtis.

Quanquam non armis tantùm bellicæque virtuti ſuas Religio lauros debet. Quin imò, ſi ferro dumtaxat res agitur , nunquam ab omni parte Religio vincit : adjungatur illi oportet doctrinæ ſubſidium ; atque hoc tertium eſt in quo, uti dicebam , HENRICUS noſter operam illi egregiam navavit. Sic eſt Hæreſis : eripe illi erorem , armis non ereptis ; arma detrahe, errore non detracto: nihil egeris. Utrumque conſpiret, ut res conficiantur è ſententia , neceſſe eſt ; & manu opus eſt qua perdometur , & mente qua refellatur. At utramque laudem in uno aliquo reperire , hoc demum opus , hic labor eſt : cum alterum ab altero ſejunctum, debile ; alteri adjunctum , inſuperabile ſit.

Hoc verò utrumque Condæus in ſeſe feliciter ſociavit. Adverſarium illo terribiliorem nullum Calviniani miniſtri habuerunt : eorum argutias , dolos omnes ac latebras perſcrutatus erat , & earum vanitatem atque inanitatem quemadmodum ipſis plauſibili oratione oſtenderet , apprime norat. Cetera gnarus & intelligens , at eo maximè ut illos vel convinceret , vel hærere certè atque obmuteſcere cogeret : Sacræ Scripturæ peritus , maxime ut ipſis demon-

glorifié le Dieu de vos Peres, & le Seigneur que vous servez.

Mais ce n'est pas toûjours par les armes qu'on fait triompher la Religion ; il est vrai même que par les armes seules la Religion ne triomphe jamais pleinement. Il faut que la solidité de la doctrine vienne encore pour cela à son secours ; & c'est le troisiéme service que lui rendit nôtre Prince. Car voilà le genie de l'Hérésie : convainquez-la sans la desarmer, ou desarmez-la sans la convaincre ; vous ne faites rien. Il faut, pour en venir à bout, l'un & l'autre ensemble ; un bras qui la dompte, & une teste qui la réfute. La difficulté est de trouver ensemble l'un & l'autre, l'un separé de l'autre étant toûjours foible, comme l'un joint à l'autre est insurmontable.

Or c'est ce que le Prince de Condé allia heureusement dans sa personne. Jamais les Ministres de Calvin n'eûrent un adversaire si redoutable que lui. Il sçavoit leurs artifices & leurs ruses, & il n'ignoroit rien de tout ce qui étoit propre à leur en faire voir plausiblement la vanité & l'inutilité. Habile en tout, mais particulierement dans cette science de les persuader ou de les confondre. Sçavant dans l'Ecriture, mais sur tout pour leur démontrer l'abus énorme qu'ils en

straret quàm turpiter eadem abuterentur: peritus historiæ, maximè quod traditionem spectat, ut ejus perpetuitatem ab iisdem interruptam probaret; peritus mysteriorum, quibus Religio continetur, præsertim in capitibus excutiendis, super quibus litem illi nobis moverent: peritus doctrinæ morum ad Christi leges exactæ, præsertim ut ipsis ostenderet quàm flagitiosè ipsam depravassent: peritus etiam patrii sermonis, inprimis ut illis ob oculos poneret, quàm falsæ, aut periculosæ ipsorum interpretationes forent. Earum omnium rerum scientia principem eruditum cum appellamus, quis alium præter Condæum Principem appellatum fuisse suspicetur?

At eumdem tamen Hæreseos sectatores adversarium omnium vel maximè amabilem experti sunt; & quem justis de causis præclarè de se meritum fuisse vel inviti faterentur. Istas quibus pollebat præstantis animi egregias artes eam ob rem tantùm adhibebat, ut ipsorum erroribus mederetur; idcircò tenebat quemadmodum eos refelleret, ut eosdem Deo & Ecclesiæ redonaret: nunc se leniter in eorum animos insinuare, nunc instare acrius, hoc unum agere, nulli rei aut labori parcere: id sanctè ratus, cum ipse antea schismate irretitus, & ab eo singulari Dei beneficio explicatus fuisset, teneri se ipsum quoque non secus ac Petrum,

faisoient. Sçavant dans l'Histoire, mais sur tout pour la tradition, dont il leur faisoit remarquer qu'ils avoient interrompu le cours. Sçavant dans nos mysteres, mais sur tout pour la discussion des points & des articles qu'ils nous contestoient. Sçavant dans la morale de JESUS-CHRIST, *mais sur tout pour prouver la corruption qu'ils y avoient introduite. Sçavant dans la langue, mais sur tout pour leur faire toucher au doigt la fausseté ou le danger de leurs traductions. Quand on parle d'un Prince qui sceut tout cela, en peut-on conçevoir un autre que le Prince de Condé ?*

Mais en même tems jamais les partisans de l'Héréſie n'ûrent un adversaire si aimable, ni à qui malgré eux ils deussent être plus obligez qu'à lui. Il ne se prévaloit de ses talens que pour les guerir de leurs erreurs; & il ne sçavoit l'art de les confondre que pour les gagner à Dieu; insinüant pour cela, pressant pour cela, employant tout, & n'épargnant rien pour cela : prévenu qu'il étoit de cette pensée, qu'ayant été lui-même envelopé dans le Schisme, & Dieu par sa misericorde l'en ayant tiré, il avoit aussi-bien que Saint Pierre un engagement personnel à procurer aux autres le même bien. * Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

* *Luc 22. 32.*

ut alios ad ejusdem beneficii communionem vocaret : * *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Sua putabat interesse ut errorem deponerent, hoc onus in se suscipiebat, huc seriò adjiciebat animum, & inter plurima quibus destinebatur, gravissimaque negotia, istud in voluptatis præcipua parte atque officii ponebat. Quam multos unus ista sua cura & sollicitudine ad Ecclesiæ castra revocavit! Quam eodem ceteros omnes perducere voluisset!

Sed opus egregium tot expetitum votis, ut alius HENRICO major absolveret, superis visum erat. Hanc REGI gloriam Deus reservabat. Serebat Condæus ac plantabat, sed ut fructus & messem LUDOVICUS MAGNUS perciperet : nondum advenerat opportuna tempestas, necdum matura seges erat, quam cælum fovebat interim. Nunc emergit illa & efflorescit in dies magis, ut nemini dubium esse possit, quin ad uberiora incrementa proventumque lætiorem benignum numen aspiret.* *Venit hora, & nunc est.* Hoc erat gloriosissimum REGIS fatum, ut ad ea tot miracula, quibus illo regnante Gallia magna est, iste quoque cumulus accederet. Proluserat duntaxat Condæus, sed in re tanta vel præivisse LUDOVICO MAGNO, non exigua pars Condææ laudis est.

* *Luc.* 22.
* *Joan* 5. 23.

Il s'interessoit pour leur conversion, il s'en chargeoit, il s'y appliquoit; & dans la foule des affaires dont il étoit occupé, il se faisoit un plaisir aussi-bien qu'une obligation de celle-ci. Combien par ses charitables poursuites en ramena-t-il lui seul à l'obéïssance de l'Eglise, & avec quelle passion n'auroit il pas desiré pouvoir les y attirer tous?

Mais l'accomplissement d'un souhait si divin devoit être l'ouvrage d'un plus grand que lui. Dieu le reservoit à nôtre invincible Monarque. Le Prince de Condé semoit & plantoit, mais LOUIS LE GRAND *devoit recueillir. L'heure n'estoit pas encore venuë; & ce fruit que le Ciel préparoit n'étoit pas encore dans sa maturité. C'est maintenant que nous le voyons, & que nous ne pouvons plus douter que Dieu n'y donne l'accroissement.* * Venit hora, & nunc est. *Il étoit de la glorieuse destinée du Roi que ce succès fût encore l'un des miracles de son regne. Ce qu'avoit fait le Prince de Condé n'en étoit que le prélude; mais il est même honorable au Prince de Condé d'avoir servi à* LOUIS LE GRAND *de précurseur dans un si important dessein.*

* *Joan.* 5. 23.

Ah! si quis adhuc rei cujuspiam sensus in HENRICI corde, quod in hac æde sacra nobile depositum sanctè asservamus, inesse posset, quanto, dum hæc loquor, gaudio exiliret! Si frigidis illis cineribus, qui hac urna conclusi sunt, sua restitui vita spiritusque posset, ut pietatem maximi post homines natos Regis venerarentur ac celebrarent! Ac si quid est adhuc in rebus humanis quo felix ejus animus tangatur, (& hac profectò rei Catholicæ gloria secundissimoque cursu tangitur,) quid illi potest accidere jucundius, quàm quod Religio vera ejusdem regiæ pietatis ope tam incredibiles in Gallia progressus facit? Hoccine eventurum aliquando, Condæe, putavisses, cùm faceres futuri conjecturam è primis LUDOVICI, qui tum puer adhuc erat, initiis atque annis? An hunc illum esse suspicatus esses, qui rebus adeo feliciter à te inchoatis extremam brevi manum imponeret?

Nostrum est, CHRISTIANI AUDITORES, hoc tantum opus, faventibus superis cœptum, adjuvare pro virili. Strenuè id quidem agit LUDOVICUS, ac promovet in dies magis, regia sua in eos benignitate, qui revocanti Ecclesiæ auscultant: cum iis occurrit, ultroque non rogatus favet; cum ornat beneficiis; cum, ut salutari doctrina imbuantur, providet;

Ah ! MES CHERS AUDITEURS, *si le Cœur de ce Prince dont nous conservons ici le dépôt, pouvoit être sensible à quelque chose, de quel transport de joye ne seroit-il pas émeu au moment que je parle ? si ses cendres renfermées dans cette urne pouvoient aujourd'hui se ranimer, quel hommage ne rendroient-elles pas à la pieté du plus grand des Rois ? Et si son ame bienheureuse prend encore part aux évenemens du monde, comme il est sans doute qu'elle en prend à celui-ci, deqnoi peut-elle être plus vivement touchée, que de voir par un effet de cette pieté, les progrès inconcevables de la Religion Catholique dans ce Royaume ? L'auriez-vous cru, Grand Prince, quand vous en jugiez par les premieres idées que vous vous formâtes de ce Monarque encore enfant, & eussiez-vous dit alors que c'étoit celui qui devoit bien-tôt achever & consommer l'œuvre que vous aviez si heureusement commencé ?*

C'est à nous, CHRETIENS, *de seconder des dispositions si saintes.* LOUIS LE GRAND *les augmente tous les jours par ses bontez toutes Royales envers ceux qui écoutent la voix de l'Eglise, par les graces dont il les prévient, par les bienfaits dont il les comble, par les instructions salutaires dont il les pourvoit, par les soins plus que paternels qu'il daigne bien prendre de leurs*

cum ipse illos in suam fidem curamque recipit, ac paternam indulgentiam regio amore studioque vincit. Hanc illi abrogare laudem Hæresis vel pertinacissima non potest; & suo ipsa damno fateri cogetur, qui æquè atque ille in amplificandam Religionem suam incumberet, Christianum Regem fuisse neminem. At nostrum est, iterum moneo, CHRISTIANI AUDITORES, conspirantibus cum illo votis ad præclarum opus accedere, ejus ardentissimo Religionis studio exempla nostra morumque spectatam integritatem, precationes crebras, piarum etiam subsidia largitionum adjungere: quæ res ad Hæresim vincendam plus multò quàm verba, rationumque momenta proficient. Nostrum est depravatos mores, qui ad Religionis dedecus, ad aliorum offensionem corruptelamque gliscunt, quos nobis quotidie Hæresis, etsi improbè, non tamen omnino injuriâ objicit, emendare; imprimis autem eas, quæ nos mutuò collidunt, dissensiones, quibus ad rem illa suam, ut cernitis, tam solerter abutitur. Hic ille quippe felix dolus est & innoxius, quo ad ovile Christi aberrantium fratrum reliquias adducamus: illos exemplo, amore, liberalitate alliciamus, nihil admodum verbis opus erit, eos brevi Catholicos habebimus. Eosdem comitate devinciamus, inducamus pruden-

personnes

personnes. L'Héréſie la plus obſtinée ne peut pas lui diſputer ce mérite ; & aux dépens d'elle-même, elle ſera forcée d'avoüer que jamais Roi Chrétien n'a eû tant de zele que lui pour l'amplification de ſa Religion. Mais c'eſt à nous, MES FRERES, *je le répete de concourir avec lui pour une ſi belle fin ; ajoûtant à ſon zele nos bons exemples, l'édification de nos mœurs, la ferveur de nos prieres, les ſecours même de nos aumônes, dont l'efficace & la vertu fera ſur l'Héréſie bien plus d'impreſſion que nos raiſonnemens & nos paroles. C'eſt à nous de faire ceſſer les ſcandales, que l'Héréſie, avec malignité ſi vous voulez, mais pourtant avec fondement, nous reproche tous les jours, & entre autres nos diviſions, dont elle ſçait comme vous voyez, ſi avantageuſement profiter. Car voilà l'innocent ſtratagême pour attirer à la bergerie de* JESUS-CHRIST *le reſte de nos Freres égarez. Edifions-les, aimons-les, aſſiſtons-les : ſans tant diſcourir, nous les convertirons. Gagnons-les par nôtre douceur, engageons-les par nôtre prudence, forçons-les par nôtre charité, faiſons-leur cette aimable violence que l'Evangile nous permet, en les conjurant de ſe réünir à nous, ou plûtôt en conjurant Dieu, mais avec perſéverance, de les éclairer, & de leur inſpirer cette réünion : ils ne nous reſiſterons pas.*

tia, caritate expugnemus; vim illam suavissimam iisdem afferamus, qua nos Evangelium uti finit; obtestemur & obsecremus, ut redeant nobiscum in concordiam; vel à Deo potiùs magnis atque diuturnis precibus contendamus, ut eorum collustret mentes, & animos ad eam concordiam inflectat: nobis profectò non resistent.

Ita per Condæum Principem victrix Religio triumphavit. Editus in lucem fuerat, eam ut restitueret; vixit ut eam propugnaret; ita mores denique suos instituit, nihil ut aliud sequi videretur, quàm ut illi decus ac ornamentum, implendis Christiani Principis numeris omnibus, afferret. Hoc restat extremum, quod ultima parte orationis audiatis.

NASCENTIS Ecclesiæ alumnos Paulus hortabatur, ut morum sanctimoniâ atque integritate vitæ, præclaram quamdam in Ethnicorum atque infidelium animis existimationem Religionis ac speciem expressam relinquerent: cúmque hodierna die hominem dico, cujus mores ornamento Catholicæ Religioni sint, eum appello, cui nulla virtus desit, quam quidem ipsius vitæ conditio postulet; dico servantissimum officii, amantem æquitatis, caritatis cultorem, cujus spectata sit probitas, sentiendi norma gravis & solida, agendi ratio constans,

Ainsi le Prince de Condé fit-il triompher la Religion Catholique. Il étoit né pour la rétablir, il ne vécut que pour la défendre, & dans toute sa conduite il sembla n'avoir point d'autre veüë que de remplir ses devoirs de Prince pour l'honorer. Encore un moment d'attention : c'est la derniere partie de ce discours.

C'ESTOIT par l'integrité d'une vie irrépréhensible, que Saint Paul exhortoit les premiers Chrétiens à donner aux Payens *& aux Infidelles une idée avantageuse de la Religion de* JESUS-CHRIST ; *& quand je parle aujourd'hui d'un homme, qui par sa conduite honore la vraye Religion, j'entens un homme parfait dans sa condition, attaché inviolablement à ses devoirs, aimant la justice, pratiquant la charité, d'une probité reconnuë, solide dans ses maximes, reglé dans ses actions, maître de ses*

& ad pietatis leges exacta, domitæ cupiditates, perturbationes ex imperantis animi nutu rationisque suspensæ. Quorsum autem? quia talem effingere ac moliri hominem Religio sola, & quidem vera, potest. Quia verò fieri contra nequit, ut alium quemlibet ab ejusmodi dotibus nudum & inopem honori sibi & gloriæ esse ducat; illæ si absint, nulla Religio est, quamlibet ipsa per se sancta sit, quæ contemptum hominum ac fictæ simulatæque pietatis suspicionem effugiat.

Labem hanc oportet ab illà suspicionemque defendere; ac si nos probare Deo in profitenda Religione volumus, ita colenda nobis est, quemadmodum Paulus sentiebat, ut moribus nostris eidem hominum approbationem & venerationem conciliemus. Ita qui se gerit, ab illo Religionem ornari statuo. Id egregiè Condæus, cujus laudationem absolvo, præstitit; vel id in eo potius Catholica Religio mirabilem in modum effecit: siquidem ejus ope ac beneficio, ejus institutis legibusque servandis, talem se præbuit, in quo nihil ad perfectam Principis formam desiderares; hoc est, Regi suo fidum, publicæ rei deditum, summa in populum caritate, summa in educandis Principibus liberis suis cura; in administranda familia prudentem, æquum adversùs omnes, sui etiam ipsius, cum æquita-

mouvemens & de ses passions. Pourquoi? parce qu'il n'y a que la vraie Religion qui puisse former un sujet de ce caractere. C'est son ouvrage, il ne faut donc pas s'étonner si elle s'en fait honneur; & parce qu'il est d'ailleurs impossible qu'elle se fasse honneur d'un sujet à qui ce caractere ne convient pas, sans cela il n'y a point de Religion, pour sainte qu'elle soit en elle-même, qui ne tombe dans le mépris, & qui ne passe pour hypocrisie.

Il faut la garantir de ce reproche: & pour la soûtenir avec mérite devant Dieu, il faut, dans le sens de l'Apôtre, la pratiquer d'une maniere qui lui attire même l'approbation, l'estime & le respect des hommes. Voilà ce que j'appelle l'honorer. Or c'est ce qu'a fait admirablement le Prince dont j'acheve l'éloge; ou plûtôt c'est ce que la Religion Catholique a fait excellemment en lui, puis que c'est par elle, & suivant ses loix, qu'il a été un Prince accompli dans tous ses devoirs de Prince, c'est-à-dire fidelle à son Roi, zelé pour le bien de l'Estat, plein de charité pour le peuple, appliqué à l'éducation des Princes ses enfans, sage dans le réglement de sa maison, juste envers tous, & quand il s'agissoit de l'être, audessus de lui-même & de l'interêt; modeste dans la prosperité, inébranlable dans l'adversité, égal

poscebat, suorumque commodorum contemptorem egregium, in secundis rebus modestum, fortem & invictum in adversis, sui semper in utraque fortuna simillimum. Ego verò vehementer lætor, quòd his quasi depictum coloribus Condæum agnoscatis, ut vel me tacente illum planè qualis erat, hæc vobis lineamenta quamvis rudia & incondita repræsentent. Nonne igitur jure illud affirmavi ornatam ab illo Religionem fuisse? Ecquis ob oculos poni vobis potest magis idoneus, unde perdiscatis, quàm apud vos habere vim Religio pura & maculæ omnis expers, quid in singulis efficere debeat. Hoc, pro suo quisque vitæ genere & instituto, ex iis quæ sum dicturus, cognoscetis: in eo desino.

HENRICUS mente non minùs & animo, quàm cultu & professione ipsa Catholicus, id secundùm Deum illi demonstrandum esse judicavit, qui ut sacræ litteræ monent, præcipuo quodam jure ac nomine, Dei in terris administer & legatus est. Totum se Regi addixit ac devovit, non utilitatem suam aliquam secutus, ex aulicæ prudentiæ legibus, sed sincera ductus fide, cujus in se specimen & exemplum volebat extare, ut norunt omnes, ac ipse palam præ se ferebat. Quoties illius temporis procellas & naufragia deploravit, cum exortis ob LUDOVICI XIII. ætatem pu-

dans l'une & dans l'autre fortune. Ma consolation est de voir qu'à toutes ces marques vous reconnoissez le Prince de Condé, & que sans autre discours ces traits, quoi que simples, vous le representent au vif. N'ay-je donc pas eû raison de dire que sa conduite avoit été l'ornement de sa Religion? & puis-je vous mettre devant les yeux un sujet plus propre à vous instruire de ce qu'une Religion pure & sans tache doit operer dans vos personnes? A proportion de ce que vous êtes, vous l'allez apprendre, & c'est par où je vais finir.

HENRI *Catholique d'esprit & de cœur aussi-bien que de profession & de culte, crut qu'après Dieu il devoit en donner la premiere preuve à celui qui, selon la parole de l'Ecriture, est par excellence & par prééminence le Ministre de Dieu sur la terre.* * Regi quasi præcellenti. *Il s'attacha au Roi, non pas par une politique interessée, mais par une sincere fidelité, dont on sçait qu'il faisoit gloire de servir d'exemple & de modele. Combien de fois déplora-t-il ce tems malheureux, où la minorité de* LOUIS XIII. *ayant donné lieu aux dissensions civiles, il s'étoit trouvé malgré lui entraîné par*

* 1. Pet. 2. 13.

pillarem bellis civilibus, abreptus fuerat sævissimæ tempestatis æstu, quamvis reluctans & renitens, ac luctuoso quodam suo fato coactus eas amplecti partes, quas profectò secutus nunquam foret, nisi quadam inductione animi, etsi falsa, illas esse tum æquiores, tum regiis rationibus utiliores persuasum habuisset? Quoties, inquam, ubi ex illa tempestate in portum se recepit, errorem suum ipse damnavit? Quo studio, qua contentione animi labem hanc sarcire magnis in rempublicam meritis laboravit? Quantum inde profecit ipse, non modò ad altiùs in animo sibi defigendum illud, quod sanctissimè deinceps & constantissimè ad extremum usque spiritum tenuit, ut abhorreret penitus ab iis omnibus, quæ vel levissimam factionis partiumque speciem præ se ferrent: verùm etiam ad viros primariæ nobilitatis salutaribus monitis imbuendos, sicubi eorum tentari fidem & nutare constantiam sentiebat? Imprudens deerraverat; ita rediit in viam, ita errorem deposuit, ut pænè tanti fuerit eum sic errasse.

Vel ipse ejus conspectus quantùm habebat ponderis ad seditiones vulgi compescendas! ut sponte, vel ferocissimi quique, & ad audendum projectissimi, auctoritati se regiæ submittebant! quàm erant parêre ac sequi dociles, si Condæus vocaret ac duceret! Ubi major ejus tum in agendo, tum

le torrent, & forcé par sa destinée à suivre un parti qu'il n'auroit jamais embrassé, si sa raison, quoique séduite, ne lui en avoit répondu, comme du plus juste & du plus avantageux au Souverain ? Combien de fois dis-je, revenu à soi, condamna-t-il son erreur ? Quel zele ne témoigna-t-il pas pour la réparer par l'importance de ses services ? Et quel fruit n'en tira-t-il pas non seulement pour se confirmer lui-même dans la maxime qu'il garda depuis religieusement, & dont il ne se départit jamais, d'avoir en horreur tout ce qui avoit l'ombre de partialité, mais pour faire aux Grands du Royaume ces leçons salutaires qu'il leur faisoit quand il les voyoit exposez à de pareilles tentations ? Il s'étoit égaré par surprise, & son égarement même se tourna pour lui en mérite par les heureux effets de son retour.

Quelle vertu sa presence seule n'avoit-elle pas, pour appaiser les soûlevemens populaires ? Et avec quelle docilité ne voyoit-on pas les esprits les plus mutins plier sous le joug de l'autorité Royale, du moment que le Prince de Condé s'y interessoit ? Où paroissoit-il plus éloquent, plus animé, plus ferme, plus

in dicendo vis & ardor animi, ubi constantia firmior, quàm cum danda erat opera ut reglis mandatis imperiisque mos gereretur? quàm acriter & strenuè, ut illa vim suam obtinerent, agebat in Curia, in Senatu? quantam iisdem auctoritatem conciliabat in urbibus sibi commissis atque Provinciis? Haud facilè quisquam hominum voluntates perinde habuit in potestate, ut eas ad debitum *Christi Domini* obsequium impelleret. Atque hoc ipsa re magis quam oratione prædicabat; cúmque ad ejus verba vitæ ratio consentiens cum verbis & conspirans accederet, tum enimverò existebat illa vis ad persuadendum suavissima, quæ omnia pervinceret. Hæc erat illius norma, solennis ea vox & quasi tessera, *Deum timete, Regem honorificate.*. Hunc in modum se Princeps maximus ad suæ Religionis nutum legesque fingebat; vel. potius sic juvabat illam exemplo suæ pietatis, atque adeo illustrabat. Neque hoc satis.

Eodem Religionis studio accensus, publicam rem, & gloriam imperii antiquissimam & optatissimam habuit: ac nisi eumdem irati vitiis nostris Superi tum eripuissent, cum ipsum vivere vel maximè necesse nobis erat, non iis perfuncta esses calamitatibus, Gallia, patria mihi carissima, quæ sunt illius obitum consecutæ, & quibus pœnas infenso numini gravissimas de-

inflexible, que dans les occasions où il s'agissoit de faire exécuter les ordres du Roi? Avec quelle force les appuyoit-il dans les Parlemens? Quel poids ne leur donnoit-il pas dans les Provinces & dans les villes dont le Gouvernement lui étoit confié? Jamais homme n'eut tant d'empire sur les esprits des Peuples, pour leur imprimer l'obéïssance dûë à l'Oingt du Seigneur. Il la prêchoit par ses actions encore plus que par ses paroles, mais ses paroles soûtenës de ses actions avoient une grace invincible pour la persuader. Sa devise & sa regle étoit celle-ci: Deum timete, Regem honorificate. Craignez Dieu, dont le Roi est la vive image; & honorez le Roi dépositaire de la puissance de Dieu. *C'est ainsi que ce grand Prince pratiquoit sa Religion; disons mieux, c'est ainsi qu'il édifioit, & qu'il glorifioit même sa religion. Ce n'est pas tout.*

Par le même principe il aima l'Estat; & si le Ciel pour nos pechez ne nous l'avoi ravi dans la conjoncture où il nous étoit devenu souverainement necessaire, France, ma chere Patrie tu n'aurois pas essuyé les calamitez dont Dieu par un severe jugement te voulut punir! Vous m'entendez, CHRESTIENS, *& sans que je m'explique davan-*

pendisti! Cernitis animo quid velim, AUDITORES, neque id opus est fusiùs explicare: præteritorum vulnerum adhuc recens, & in omnium animis defixa recordatio satis superque vos fateri mecum cogit, quàm incredibilem jacturam imperium amisso Condæo fecerit. Hoc abundè sensimus, cum anno 1648. tam graviter in Gallia turbatum est; tum enim admoniti maximis tempestatibus ac periculis, quæ statim post illum terris ereptum nobis incubuerunt, intelleximus quàm illo publica res egeret, quantùm in hoc uno capite boni situm ac felicitatis foret. Omnium consentiens & una vox erat, omni laudatione certior, hæc eventura non fuisse, si Condæo vita suppeditavisset.

Ac sanè HENRICUS tum unus erat; cujus in anima pax Imperii tranquillitasque verti meritò diceretur: eam prudentia sua continebat, moderatione, auctoritate apud omnes & fide, pietate plena roboris, plena ardoris & animi; Regis administrorum, qui ejus consiliis & sapientiæ plurimum tribuebant, observantia. Quid plura? tanquam reipublicæ vindex custosque Angelus, avertebat à Gallia intestini belli fulmen, quod in nostram cladem fabricatum infesti numinis atrox ira moliebatur, nec ante erumpere atque evolare passa est, quàm illum è medio tolleret, qui diræ tempestatis mora,

tage, le ſouvenir encore récent de nos miſeres paſſées, ne vous oblige que trop à convenir avec moi de la perte infinie que l'Etat a fait, en perdant le Prince de Condé. Les troubles de 1648. nous la firent ſentir, & nous commençâmes à comprendre le beſoin que nous avions de lui, & combien ſa perſonne nous étoit précieuſe, par les maux qui nous accablerent dès que nous en fûmes privez. Chacun avouoit, & c'étoit la voix publique plus ſûre que tous les éloges, que ſi le Prince de Condé avoit vécu, nous ne ſerions pas tombez dans ces malheurs.

Et en effet, le Prince deCondé étoit celui ſur qui l'on pouvoit dire que rouloit alors la tranquillité & la paix du Royaume; qui la maintenoitpar ſa prudence, par ſa moderation, par ſon credit, par la créance qu'on avoit en lui, par la déference des Miniſtres à ſes ſages avis, par l'efficace & par la vigueur de ſon zele; en un mot, qui comme un Ange tutelaire préſervoit la France du fleau de la guerre inteſtine dont l'orage ſe formoit déja, mais qui demeura comme ſuſpendu tandis que Dieu nous conſerva ce Prince d'où dépendoit nôtre repos. C'étoit un homme ſolide,

& nostræ quietis præsens tutela esse videbatur. Ejus rationes omnes & cogitationes, ut erant plenæ gravitatis & æquitatis, sic in publica utilitate totæ versabantur: nihil ipse, quod sua privatim interesset, quæritare; adeo ut sibi vitio daturus fuisset, si communibus malis ac procellis ad rem suam abuteretur, in quo tamen à viris genere ac dignitate præstantibus peccari tam sæpè solet; idcircò negotiis interesse, ut iis finem imponeret; discordiarum ac dissensionum fluctibus, ut eos componeret; illis quæ in aula conflarentur coitionibus & machinationibus, ut eas discuteret: denique is erat, ut factionum partes inter se distractæ licèt ac divisæ, illum neque alienum, neque suspectum haberent. Norant scilicet, nihil HENRICO esse antiquius, quàm ut partes utrasque inter se conciliaret; eas ipse millies ad concordiam sola virtutis & æquitatis opinione, utrisque perinde cognita revocarat: neutris mancipatus, omnibus addictus, quippe qui unum id optaret quòd è re singulorum foret. Illi demum imperii salus & gloria, salute suâ carior semper fuit, quàm suis omnibus fortunis, & suo capite redimere minimè dubitasset. Num videor aliquid veris addere? num quis illorum est, quibus Condæus notus erat, qui quod hæc dicendo majora faciam, reprehendere jure possit?

dont toutes les vûës alloient au bien ; qui ne se cherchoit point lui-même, & qui se faisoit un crime d'envisager dans les desordres de l'Estat sa consideration particuliere (maxime si ordinaire aux Grands ;) qui ne vouloit entrer dans les affaires que pour les finir , dans les movemens de division & de discorde que pour les calmer , dans les intrigues & les cabales de la Cour que pour les dissiper ; un homme , dont les partis contraires n'avoient ni éloignement ni défiance , que parce qu'ils étoient convaincus que toute son ambition auroit été d'en être le pacificateur ; qui cent fois les a réünis, par la seule opinion qu'ils avoient de la droiture de ses intentions, sur laquelle ils se trouvoient également d'accord ; qui sans être aux uns ni aux autres , ne laissoit pas d'être à tous , parce qu'il vouloit le bien de tous : un homme enfin à qui l'Estat étoit plus cher que sa propre vie , & qui auroit tout sacrifié pour le sauver. En dis-je trop , & ceux à qui le Prince dont je parle étoit connu, peuvent-ils m'accuser d'exageration ?

At rursus, hoc denique est Religioni suæ decori & ornamento esse; & quicumque rerum æstimator prudens, qualis esse viri Principis Religio debeat, intelligit, his eam rebus mentiri sanè debet.

Dixi Condæum paterna quadam caritate, ac suavissimo amoris tenerrimi sensu in populum fuisse, quem intimo pectore complecteretur, cujus commodis serviret, cujus ærumnis tangeretur. Egregia laus, inquit Augustinus, quam si viri Principes adamarent, propè numinum instar colerentur, & quàm ab iis negligi sæpè Deus ipse passus est, quo suæ, ut idem Augustinus ait auctoritati esset consultum & gloriæ, ne quis eos forte pari atque ipsum Deum honore dignaretur. Quis ex omni Principum numero præclara ista dote melius aliquando usus est ac sanctius, quàm ille cujus eximias laudes, ut maximè velim; tamen omnes comprehendere dicendo, & adæquare non possum?

Popularis erat, non humilitate quadam animi, sed excelsitate; non inani ductus gloria, sed caritate; non ambitione, sed commiseratione: hoc est non amplectebatur populum, ut ejus studium benevolentiamque captaret; sed ejus benevolentiam sibi devinciebat, quia illum ex animo amplectebatur. Hic verò me appellare testem ipse possem, quodque his oculis usurpavi,

Or voilà encore une fois ce qui s'appelle faire honneur à sa Religion ; & quiconque bien instruit des choses conçoit la Religion d'un Prince, doit par là l'estimer & la mesurer.

J'ai dit que le Prince de Condé avoit eû pour le peuple un cœur de pere, une affection tendre, des entrailles de bonté & de misericorde, qualité, dit Saint Augustin, qu'on adoreroit dans les Princes de la terre, s'ils vouloient s'en prévaloir, & dont le Dieu jaloux a souvent permis qu'ils ne fussent pas touchez, peut-être, dit ce saint Docteur, afin que l'honneur qu'on leur rendroit, n'allât pas jusqu'à l'idolatrie. Jamais Prince usa-t-il mieux de cette qualité, & s'en fit-il une vertu plus épurée, que celui dont je tâche ici, mais dont je ne puis que foiblement vous marquer tous les caracteres ?

Il étoit populaire, non pas par bassesse, mais par grandeur d'ame ; non pas par vanité, mais par charité ; non pas par ambition, mais par compassion : c'est-à-dire, il n'aimoit pas les peuples pour en avoir le cœur & la bienveillance, mais il avoit la bienveillance & le cœur des peuples parce qu'il les aimoit. Et c'est ici où me citant moi-même pour témoin, je pourrois par ce

ad fidem certissimam orationi meæ faciendam adhibere ; testimonium pueritiæ istud quidem, at eo ipso nomine minimè suspectum, cùm ex ore Puerorum integerrimam ac purissimam ducendam laudem esse, divini Spiritus oraculo pronunciatum sit.

In earum provinciarum una sum educatus, AUDITORES, quarum Condæus, non dicam gubernator, sed tutor & custos ; pænè dixi servator, erat. Novi qua illum pietate populus, qua, ut ita dicam, Religione veneraretur ac propè adoraret, liceat mihi hoc uti verbo, cui veniam nunc loquendi consuetudo dedit : fortunatus qui possim ætate nunc provectior, hodierna die palam significare incredibilem erga illum observantiam ac pænè cultum, quo ab ipsis incunabulis imbutus sum ! Quanto nos ille gaudio perfundebat, cum relictis Parisiis & aula, carissimam sibi urbem inviseret ! Ejus dumtaxat conspectus memoriam ærumnarum, quas acerbitas temporum invexerat, ex animis omnium delebat : nulla calamitas publica quæ illius præsentia non mitesceret : illo frui, solatium erat malorum omnium longè suavissimum. Adeo exploratum omnibus erat in eo portum gravissimis incommodis ac perfugium inventum iri. Absentem requirebamus omnes, ac veluti deploratis rebus gemebamus. Quod si qua in re parum ipsi satisfactum à

que j'ai vû, confirmer hautement ce que je dis: témoignage de l'enfance, mais pour cela même témoignage non suspect, puis que c'est de là que, selon le Saint Esprit même, se tirent les loüanges les plus pures & les plus irreprochables.

J'ai été nourri, CHRETIENS, *dans l'une de ces Provinces dont le Prince de Condé étoit, ne disons pas le Gouverneur, mais le Tuteur, mais le Conservateur, mais, si j'ose ainsi dire, le Sauveur; & je sçai, puis que l'usage pardonne maintenant ce terme, jusqu'à quel point il y étoit adoré: heureux, de pouvoir dans un âge plus avancé donner aujourd'hui des marques de la vénération qu'on m'a inspirée pour lui dès mes tendres années! Quelle joye ne nous apportoit-il pas, quand quittant Paris & la Cour, il venoit nous visiter? Il suffisoit de le voir pour oublier tout ce que la pauvreté & la difficulté des tems avoit fait souffrir. Il n'y avoit point de calamité publique, que sa presence n'adoucît. On étoit consolé de tout, pourvû qu'on le possedât; tant on étoit sûr de trouver dans lui une ressource à tout ce qui pouvoit affliger. Son absence au contraire nous desoloit; & quand il n'étoit pas content de nous, & qu'il nous vouloit punir, il n'avoit qu'à nous menacer qu'on ne le verroit pas cette année là. La moindre de ses maladies causoit dans tout*

nobis foret, si repetere pœnas vellet, satis hoc erat supplicii, si absuturum se isto anno minaretur. Videres, ubi morbo vel levissimo tentaretur, laborari tota Provincia, jacere omnes luctu & mœrore perditos; idque neutiquam fictum ac simulatum fuisse, documento sunt illæ lacrymæ quibus annis post septem & triginta, mortem illius omnes ingemiscunt, atque adeo in posterum ingemiscent. Quàm paucos Principes reperias, de quibus idem prædicari verè possit?

Popularis erat, non eo more, quo viri nobiles quidam solent, qui hanc laudem aucupantur, sed nullo beneficio, nulla liberalitate redemptam. Hanc ille promereri amabat, neque diligi se volebat à populo, nisi ut populo commodaret. Erat popularis, ut plebem aliqua juvandam utilitate, ornandam beneficio, calamitate sublevandam curaret: popularis, ut controversias dijudicaret, componeret dissidia; ne alios alii fortunis everterent, prohiberet. Nempè illos in liberorum habebat loco, & eorum rationibus, non aliter atque optimus parens, consulebat. Ad eam rem à Deo mirificè fictus & ornatus fuerat. Popularis, ut laboranti populo & omni ope destituto solatium & opem afferret. Burgundiam invadit hostis, pestilentia Divionem: advolat. Admonent omnes quàm gravi periculo se objiciat: aliud ipsi periculum videtur nul-

le païs une consternation générale ; & marque qu'elle étoit veritable, c'est qu'après trente sept ans on y pleure encore & on y pleurera sa mort. De combien peu de Princes en pourroit-on dire autant ?

Il étoit populaire ; non pas comme certains Grands qui affectent de l'être, sans être ni obligeans ni bienfaisans. Il ne l'étoit qu'à juste titre, & il ne vouloit être aimé des peuples, qu'à condition de leur faire du bien. Populaire, que pour solliciter leurs interêts, que pour representer leurs besoins. Populaire, que pour être parmi eux l'arbitre de leurs differens, que pour terminer leurs querelles, que pour les empêcher de se ruiner, les regardant comme ses enfans, & croyant leur devoir cette application d'un pere charitable : Dieu lui avoit donné grace pour cela. Populaire, que pour être leur consolation & leur secours dans les necessitez pressantes. L'ennemi entre dans la Bourgogne, & en même tems la peste est à Dijon : il y accourt. On lui remontre le danger auquel il s'expose : il n'en reconnoît point d'autre que celui auquel il est résolu de remedier en soulageant cette pauvre ville. On lui dit que le

lum, præter illud cui medicinam afferre, urbe ſublevanda, parat. Denunciant malum diriſſimè ac latiſſimè graſſari, augeri in dies mortuorum numerum. Atqui ob eam, inquit, cauſam accurro; quid enim civibus miſerrimis, qui meam in fidem traditi ſunt, fiet, ſi eos in tanto periculo patior eſſe deſtitutos? Hæc erat Borromæorum olim vox, principum vox non erat. Ea tamen oratio, is animus Condæi fuit, qui tum caput ſuum devovens paſtoris optimi ac vigilantiſſimi partes obibat, & cum diligentiſſimis Eccleſiæ præſulibus ſtudio ſuorum & amore certabat. Quid eſt honorem Religioni ſuæ ac decus afferre, ſi hoc non eſt?

Infinitus ſim ſi ab iis boni Principis partibus & muniis, quæ generatim & universè attigi, ad ſingula delapſus proponam illum vobis ob oculos, tanquam alterum Salomonem, domum, ſuoſque certis legibus componentem, vitiis propulſandis, tollenda impietate, exterminandis nequiſſimis perditorum exemplis, ſchola quadam virtutis, in qua omnes, ex quibus ejus aula domuſque conſtabat, informarentur, conſtituenda; pulcherrimo denique rerum omnium ordine retinendo, quem Sabæorum illa Regina de qua ſcriptor Evangelicus meminit, mirata forſan æquius fuiſſet, quàm eum, cujus viſendi gratia ab extremis terrarum

mal y est extrême, & que le nombre des morts y croît tous les jours: C'est pour cela, répond-t-il, que j'y veux aller; car que deviendra ce peuple dont je suis chargé, si je l'abandonne dans un si éminent péril? Tel étoit le langage des Charles Borromées, mais ce n'étoit pas le langage des Princes. Ce fut pourtant celui du Prince de Condé, qui dans ces occasions s'immolant lui-même, faisoit l'office de Pasteur, & égaloit par son zele les Prélats de l'Eglise les plus fervens. Est-ce honorer sa Religion, que d'y proceder de la sorte?

Je serois infini, si de ces devoirs généraux passant aux particuliers, je vous le representois comme un autre Salomon reglant sa maison & sa Cour, en bannissant le vice, n'y souffrant ni scandale ni impiété, en faisant une école de vertu pour tous ceux qui la composoient, & y maintenant un ordre que la Reine étrangere de l'Evangile auroit peut-être plus admiré que celui qui l'attira des extrémitez de la terre. Le plus aimable maître qui fut jamais: il y paroît bien par les monumens autentiques de reconnoissance, que ses serviteurs, après l'avoir même perdu, lui ont érigez. Le Prince le plus fidelle à ses amis: nous en avons encore des témoins vi-

oris accelerat. Herus nusquam illo commodior: argumento sunt illustria memoris animi monumenta; quæ ipsius famuli, pridem etiam demortuo posuerunt. Nusquam Princeps majori in amicos fide: superant adhuc luculenti testes. Idem post homines natos etiam contra rem suam, æqui & recti servantissimus; quotidianos sumptus circumcidens, ut æs alienum dissolveret, (vos hoc, viri nobiles, audire cupio, & quæ vestræ sint in ea re partes, quibus defungi nonnulli è vobis tam parum amant, inde cognoscere,) de quotidianis, inquam, impensis aliquid amputans, ut nomina sua expediret, ac de suo splendore nonnihil imminui satius existimans, quàm ullam æquitati suæ maculam aspergi: semper illas artes nefarias execratus quibus fortunæ generisque sui dignitatem nonnulli malè tuentur alieno periculo atque detrimento; cùmque rem paternam & hæreditatem gravissimis affectam vulneribus, & iniquissimo positam loco cepisset, se suis facultatibus, non sua dignitate metiri aggressus; illudque pro certo habens, quamvis hominum profligatissimam consuetudinem in ea re, ac sæculi pravitatem cerneret, in faciendo sumptu, sibi modum hunc saltem adhibendum esse, quem rectæ lex conscientiæ definiret. Hæc illa nimirum sunt, huc enim identidem redeo, Religionis ornamenta

vans.

vans. L'homme contre lui-même le plus droit & le plus équitable, se retranchant pour payer ses dettes, (écoutez, Grands, & instruisez-vous d'un devoir que quelques-uns de vous goûtent si peu,) se retranchant pour payer ses dettes, & aimant mieux rabatre de sa grandeur que d'interesser sa justice ; n'ayant jamais sceû ce secret malheureux de soûtenir sa condition aux dépens d'autrui; & dans le desordre où il trouva les affaires de sa maison, s'étant mesuré à ce qu'il pouvoit, & non pas à ce qu'il étoit : persuadé, malgré le déréglement de l'esprit du siecle, que ses dépenses devoient au moins être bornées par sa conscience. Car voilà encore une fois ce que je soûtiens être dans un Prince les ornemens de la vraye Religion. Or vous sçavez s'ils conviennent au Prince de Condé. Je serois, dis-je, infini, si je vouloit m'étendre sur tous ces chefs. Mais satisferois-je à ce que vous attendez de moi, si j'omettois, en finissant, celui qui tout seul pouvoit lui tenir lieu d'un juste éloge, & dont je suis seûr que vous allez être touchez ? Ecoutez-moi : je n'ai plus qu'un mot.

quibus eam à viro Principe cohonestari par est. Quæ num rectè Condæo tribuantur, vestrum arbitrium judiciumque sit. Sed, uti jam dixi, finem oratio non habeat, si ea singillatim enumerare velim. Nonne tamen expectationem vestram meritò viderer defraudasse, si extremo isto loco illum omitterem, qui si unus appelletur, laudari HENRICUS pro dignitate censeatur; & cujus laudes vestro omnium suffragio probatum iri certò scio. Adeste animis; præcîdo.

Suscepit HENRICUS liberos, qui, ut Spiritus sanctus pollicetur, *gloria Patris* extiterunt, neque id mirum; cùm iidem Galliæ, Europæ, Orbis Christiani decus extiterint. Id illorum tamen pace dixerim, quam in parentem suum gloriam refuderunt, eam in ipsos prius à patre, uno ex omnibus optimo patre atque sanctissimo, profluxisse. Iis ipse educandis fingendisque præfuit: hoc unum ad gloriæ immortalitatem satis erat. Eos, inquam, per se finxit ipse atque conformavit, parumque duxit, si principes illi ex se nati forent, cùm haberet in animo eosdem, ut ita dicam, exempla Principum efficere, quæ ceteris ad imitandum deinde proponerentur, id agendo ut melius etiam ac nobilius educati essent quàm nati. An eum spes fefellit? nolite hujus rei fidem ex meo tantùm testimonio petere: ex iis qui supersunt suavissimis fructibus,

Dieu lui donna des enfans ; & selon la promesse du Saint Esprit ses enfans ont été sa gloire. Comment ne l'auroient-ils pas été, puis qu'ils ont été la gloire de la France, de l'Europe, & du Monde Chrétien ? Mais ils ne s'offenseront pas quād je dirai que s'ils ont été la gloire de leur pere, leur pere, le meilleur & le plus digne de tous les peres, avoit auparavant été la leur. C'est lui-même qui les forma ; il n'en falloit pas davantage pour rendre sa mémoire éternelle : c'est lui-même qui les forma, & il compta pour rien de les avoir fait naître Princes, dans le dessein qu'il conceut d'en faire, si j'ose parler ainsi, des modeles de Princes, en leur donnant une éducation encore plus noble que leur naissance. Y réüssit-il ? N'en jugez pas par le rapport que je vous en fais, mais par les précieux fruits qui nous en restent, & que vous voyez de vos yeux.

qui versantur vobis ob oculos, judicate.

Is quem coram intueor Heros invictissimus, hic ille filius HENRICI omni laude major, planiùs hoc vobis & meliùs oratione mea, demonstrabit. Quanti sit ille, quid præclarè gesserit, nostis; quodque gessit, quàm illum ipsum minoris esse, quotidiè fatemini. Impedior ejus tum conspectu tum modestia, quominùs id prædicem: sed quominùs id cogitetis ipsi, num ea res demum vos impedit? num impediet quominùs hoc idem posteritas omnis admiretur? Missa nunc farè facimus ea quæ in bello fortiter ab eo gesta sunt, quæ orbem terrarum impleverunt ejus fama, quibus præter ipsum nemo non attonitus obstupescit; illa bellicæ fortitudinis miracula, quæ cùm ederet, *siluit terra in conspectu ejus*; illa prælia fortunatissima & gloriosissima, quibus salutem toties imperio periclitanti dedit. Adest nunc ante aras provolutus, ut hæc omnia decora suæ Religioni consecret, eique accepta referat; neque aliam ob causam diem hunc & funebrem pompam obit, quam ut perdiscat, quò spectare sua laus omnis tandem & gloria debeat. Tot eximiæ dotes, ipsa fama & gloria potiores, quibus abundat; illa ingenii præstantis excelsitas, qua ceteris ubique antecellit; illa mentis amplitudo qua hoc habet, nihil ut nesciat, ut de om-

Le Héros qui m'écoute, l'incomparable Fils qu'il nous a laissé vous l'apprendra bien mieux que moi. Vous sçavez ce qu'il vaut, & ce qu'il a fait; & vous confessez tous les jours que ce qu'il a fait est encore moins que ce qu'il vaut. Sa presence & sa modestie m'empêchent de le dire: mais vous empêchent-elles de le penser, & empêcheront-elles la posterité de l'admirer? Laissons-là ses exploits de guerre dont l'Univers a retenti, & dont il n'y a que lui même qui ne soit pas étonné; ces prodiges de valeur qui ont fait taire devant lui toute la terre, ces Journées glorieuses dans lesquelles il a tant de fois sauvé le Royaume & l'Estat. Il est ici aux pieds des Autels, pour faire hommage de tout cela à sa Religion, & il n'assiste à cette funebre cérémonie, que pour apprendre où doit aboutir enfin tout l'éclat de sa reputation. Un merite encore plus solide dont il est plein; cette élevation de génie si extraordinaire qui le distingue partout; cette capacité d'esprit dont le caractere est de n'ignorer rien, & de juger en maître de toutes choses; ces vertus du cœur que les Grands connoissent si peu, & par lesquelles il est si connu; cette facilité à se communiquer si avantageuse pour lui, & qui bien loin de l'avilir, le rend toujours plus vénérable; ce secret qu'il a trouvé d'a-

nibus non secus ac peritissimi quique, judicet; illa naturæ bonitas, animi optimi atque humanissimi virtutes, quæ in eo ad tantam commendationem elucent, quæ in viris primariis adeo sunt obscuræ & ignotæ; illa sui communicandi facilitas eidem tam accommodata, quæ non modò illius non minuit, sed etiam auget venerationem; ipse in umbra & secessu tantus, quantus in campo atque luce; sexcenta alia quæ referre possem ipsius trophæis & bellicis laudibus etiam admirabiliora. Hi demum sunt educationis illius fructus, qua, ut Principem educari decuit, à parente est institutus, unde tanta HENRICO post obitum etiam gloriæ seges efflorescit. Ego verò istas filii parente dignissimi laudes in extremam orationem conjeci, ne, si eas initio attigissem, appellato filii nomine, absoluta patris laudatio videretur.

Hic ille filius est, hic ille est Heros, Deus Optime Maxime, pro quo dies noctesque vota facimus, quæ, sunt enim plena pietatis, plena æquitatis & ardoris, non dubitamus quin benignus audias. Illius ergo sacrificia instauramus: implevit orbem sui nominis fama; rogamus ut nomen illud in hominum animis & memoria inscriptum, inscriptum quoque in cœlo sit. Facies, Deus immortalis, neque enim frustra nobis hanc mentem, hanc pro æterna illius felicitate & gloria

tre aussi grand dans sa retraite, qu'il étoit à la tête des armées ; cent choses que j'ajoûterois, plus surprenantes & plus admirables dans lui que ses conquêtes ; voilà ce que j'appelle les fruits de cette éducation de Prince qu'il a reçûë, & qui fait encore aujourd'hui tant d'honneur à la memoire du Prince de Condé. Et ne vous étonnez pas de ce que j'ai attendu à la fin de mon discours à vous en parler : c'eust été d'abord achever le Panegyrique du Pere, que de prononcer le nom du Fils.

C'est pour ce Fils & pour ce Heros que nous faisons continuellement des vœux ; & ces vœux, ô mon Dieu, sont trop justes, trop saints, trop ardents pour n'être pas enfin exaucez de vous ; C'est pour lui que nous vous offrons des Sacrifices : il a rempli la terre de son nom : & nous vous demandons que son nom si comblé de gloire sur la terre, soit encore écrit dans le Ciel. Vous nous l'accorderez, Seigneur ; & ce ne peut-être en vain que vous nous inspirez pour lui tant de

desirs & tant de zele. Répandez donc sur sa personne la plenitude de vos lumieres & de vos graces. Répandez-là sur toutes ces illustres têtes qui l'accompagnent ici, & dont il est lui-même l'illustre Chef. Sur ce Prince le fondement de toutes les esperances de sa Maison, l'héritier par avance de son courage & de toutes ses heroïques qualitez, de sa hardiesse à entreprendre de grandes choses, de son activité à les poursuivre, de sa valeur à les executer; des rares talens de son esprit, de la delicatesse & de la finesse de son discernement, de sa pénétration dans les affaires, de son génie sublime pour tout ce qu'il y a dans les sciences de plus curieux & de plus recherché. Sur cette Princesse selon son cœur, l'exemple de toutes les vertus, & l'idée de tous les devoirs, que la Cour revère, & qui ne s'y fait voir que pour l'édifier. Sur ce Petit-fils sa consolation & sa joye, déja le miracle de son âge, & bien-tôt la copie vivante de son Pere & de son Ayeul. Sur cette jeune Princesse dont le mérite répond si bien à la naissance, & pour laquelle le monde n'a rien de trop grand, si le Ciel lui donne une alliance digne d'elle. Sur ces deux Princes que la mémoire de leur Pere nous rend si chers, & que leur propre gloire qui croît tous les jours, nous fait regarder comme ces nouveaux Astres qui portent leur nom, & qui brillant prés du

* In hos geminos Principes quos paterna laus ac memoria nobis adeo caros efficit, quique efficiunt ipsi suo splendore, quem in dies augescere cernimus, ut eos tanquam astra illa intueamur, ipsorum de nomine appellata, quæ cum propè solem splendeant, cui videntur quasi affixa, & cujus motum sequuntur, eorum fatum felici videntur omine designare. In hanc prioris conjugem lectissimam, in qua natura solum tam excultum ad Gratiæ satus omnes accipiendos comparavit, quæ ab omnibus dotibus egregiè instructa est, ut eam, quam porrò debet, auctoritatem pietati exemplò suo dignitatemque conciliet.

Illorum omnium animos isto Religionis fovendæ atque ornandæ studio succende; cujus exemplar tam accommodatum ad eos permovendos & perdocendos, per me modò ipsis propositum est. Fac illud intimis eorum pectoribus defixum hæreat; ceteris quibus eos generis profana nobilitas cumulavit ornamentis & honoribus hoc adde, ut Principes cœlo destinati sint, siquidem hoc unum si absit, cetera quamlibet magna & ampla, inania penitus ac nulla sunt.

Nos verò, CHRISTIANI AUDITORES, ut ex hac oratione fructum aliquem capiamus, teneamus id quod Paulus monet quod ab HENRICO BORBONIO

* *Stellæ recens deprehensæ, & in cœlesti globo* Borbonia Sidera *vocatæ, vicinæ soli, & ab eo nunquam recedentes*

** Soleil auquel ils semblent comme attachez, & dont ils suivent le mouvement, marquent heureusement leur destinée. Sur cette digne Epouse du premier, en qui la nature a preparé un si beau fonds à tous les dons de la grace, & qui a tous les avantages aussi-bien que les engagemens pour donner à la pieté du credit & du lustre par son exemple.*

Remplissez-les tous, ô mon Dieu, de cet esprit de Religion dont je viens de leur proposer un modelle si propre à les toucher & si capable de les convaincre. Faites qu'ils en soient penetrez; & à toutes les grandeurs qu'ils possedent selon le monde, ajoûtez-y celle d'en faire des Princes prédestinez, puis que hors delà toutes leurs grandeurs ne sont que vanité & que néant.

Pour nous, MES CHERS AUDITEURS,

* *Etoilles nouvellement découvertes, & appellées dans le Globe Celeste, Astres de Bourbon, qui sont tout proche du Soleil, & qui ne s'en éloignent jamais.*

tam cumulate factum est, Religioni nostræ ornamento simus. Parum nobis sit eam in sinu atque oculis ferre, ejus augendæ ac proferendæ studio flagare: moribus eamdem nostris colamus, idque imprimis, ut gravissimum teterrimumque flagitium, cavere meminerimus, ne ipsi dedecus ac invidiam vita factisque nostris accersamus. *Quid enim prodest*, inquiebat è sanctis Patribus nonnemo, *si quis Catholice credat, & gentiliter vivat?* Ego verò hoc dico; quid prodest, si quis vitam Christianam profiteatur, & Christianæ vitæ munia, gravissimasque leges aspernetur atque omittat? Omnino hinc, (pergit ille, quem laudavi modo, vir sanctissimus ac doctissimus,) Religionis contumelia & probrum in nobis existit. Christianum nomen præclarum illud arrogamus nobis; rem huic ornatissimo atque amplissimo nomini subjectam, & numeros quos cujusque conditio postulat, nullos habemus: nempè Christianus esse ac dici amas, neque attentus pater es, neque herus diligens, neque sapiens magistratus, neque integer judex; quasi hæc possent esse à Christiano sejuncta, aut cohærere ac stare sine illis Christianus homo possit. Catholici sumus professione ipsa atque cultu; justi, fideles, subjecti quibus par est, tractabiles & commodi erga quos oportet, non sumus. Hæc Religionis, inquam, labes & injuria

profitons de ce discours, & nous attachant à la regle de Saint Paul, que le Prince de Condé pratiqua si parfaitement, honorons nôtre Religion. Ne nous contentons pas de l'aimer, ni d'être même zelez pour elle: honorons-là par la conduite de nôtre vie, & souvenons-nous que l'un des grands desordres que nous devons craindre, est celui de la scandaliser. Quid enim prodest, *disoit un Pere de l'Eglise*, si quis Catholicè credat, & gentiliter vivat? Que sert-il d'avoir une créance Catholique, & de mener une vie payenne? *Et moi je dis, que sert-il de faire profession d'une vie Chrétienne, & de manquer aux devoirs solides dans lesquels elle doit consister. Car voilà*, MES FRERES, *ajoûte ce saint Docteur, ce qui scandalise & ce qui deshonore en nous la Religion. On se pique d'être Chrétien, & on n'est rien de tout ce qu'on doit être dans sa condition: c'est à-dire, on se pique d'être Chrétien, & on n'est ni bon pere, ni bon maître, ni bon Magistrat, ni bon Juge, comme si tout cela pouvoit être separé du Chrétien, & que le Chrétien fût quelque chose d'indépendant de tout cela. On est Catholique de culte; & on n'est ni fidelle ni équitable, ni soûmis à qui on le doit, ni complaisant à qui Dieu l'ordonne. Voilà, dis-je, ce qui décrie la Religion. Préservons-nous de cet abus. Comme la vraie Religion nous sanctifie devant Dieu, glo-*

est : hanc sedulò fugiamus. Sanctitatem nobis apud Deum Religio vera conciliat, gloriam illi nos apud homines conciliemus. Vitæ ratio ad officii normam exacta, id præstare porrò sola potest. Tales nos præbeamus, quales Apostolus jubebat esse, hoc est ejusmodi quibus objici meritò nihil possit, qui pudorem afferre impietati ac facere invidiam ipsa morum sanctitate possimus. Imò tales omninò simus, quales esse nos profani & solutioris vitæ homines, ut ipsorum sermones ac reprehensionem effugiamus, volunt. Hoc utrumque ut præstemus, initium ducendum est ab iis officiis, quæ nobis ratio vera & virtus imponit; ea demum implenda sunt, nullum prætereundum, iis pietas nostra, & profitendæ palam virtutis studium definiendum est, cetera ad hanc regulam dirigenda. Officio, inquam, Religionem ac pietatem metiamur. Hoc illud est, AUDITORES, quod in nobis impietas ipsa venerabitur, quod fidei nostræ decus afferet, quod carebit simulatæ pietatis suspicione, quod in deteriorem accipi partem non poterit ab maledicis obtrectatoribus, quod efficiet ut virtus nostra luceat purius, quod hanc in nobis cumulatam justitiam procreavit, cujus merces hîc centupla est *æterna Justi memoria*; quod ad extremum Deus olim æterna sua & immortali gloria compensabit.

DIXI.



rifions-là devant les hommes. Une vie remplie de nos devoirs, c'est l'unique moyen d'y parvenir. Soyons tels que l'Apôtre nous vouloit, c'est-à-dire des hommes irrépréhensibles, & capables par nôtre conduite de confondre l'impieté; & soyons tels que le monde même nous veut, & qu'il exige que nous soyons, pour être exempts de sa censure. Il faut, pour l'un & pour l'autre, commencer par les véritables devoirs, les accomplir tous, n'en omettre aucun, nous en faire une devotion, & regler par-là tout le reste. Nous faire une dévotion de nos devoirs: voilà, CHRETIENS *qui m'écoutez, ce que l'impieté même respectera dans nous, ce qui fera honneur à nôtre Foi, ce qui ne sera point soupçonné d'hypocrisie, ce qui n'aura rien d'équivoque pour donner prise à la médisance, ce qui rendra nôtre lumiere pure, ce qui nous élevera dés-maintenant à ce degré de justice, dont le centuple de la récompense est d'éterniser la mémoire de l'homme, & ce que Dieu couronnera un jour de l'imortalité de sa gloire, que je vous souhaitte au Nom du Pere, & du Fils, & du Saint Esprit.*



INDEX ORATIONUM.

